FLOSCVLI
SANCTORVM PATRVM,
IN AREOLAS SVAS DISTRIBVTI.

Labore & studio IOANNIS DE LA RVSSALIERE, *Sacerdotis Pictaviensis.*

TOMVS II.

PARISIIS,

Apud MICHAELEM LE PETIT, & STEPHANVM MICHALLET, ad insigne Velleris aurei, & S. Pauli. viâ Iacobæâ

M. DC. LXX.

Cum Approbatione & Privilegio.

APPROBATIO.

NOs infraſcripti Doctores Theologi, certum facimus legiſſe Librum cui titulus eſt, *Floſculi Sanctorum Patrum*; in quo nihil contra Fidem Catholicam, Apoſtolicam & Romanam, reperimus: ſi quidem Floſculi in operibus Sanctorum Patrum collecti, fideliter referuntur, & ideo dignum cenſemus qui typis mandetur. Datum Pariſiis, anno Dom. 1667. die 26. Auguſti.

ROBEAV.

EVDES.

APPROBATION.

I'Ay leu vn Livre intitulé *Floſculi Sanctorum Patrum*, Fait ce 8. May 1667.

M. GRANDIN.

S. Fulgentius patria Carthaginenſis, Ruſpenſis in Affrica Epiſcopus, ſanctitate & doctrina illuſtriſſimus. Claruit ſexto ſeculo, & ad cælum aſcendit anno Domini 529.

S. Cæſarius ob præclaras ſuas virtutes in Epiſcopum Arelatenſem aſſumptus, doctrina, & ſanctitate inſignis. Claruit ſeculo quinto circa annum 499. & ad annum 544. felici vitæ decurſu pervenit.

S. Gregorius Magnus dictus, Romanus, Monachus, Pontifex Maximus, vir ſanctiſſimus, pietate & doctrina inſignis. Floruit circa annum Domini 600. & ad Dominum migravit anno 604. vel 605.

S. Petrus Damianus nobilis Ravennas, Monachus Ordinis S. Benedicti, S. R. E. Cardinalis, Epiſcopus Oſtienſis. Floruit circa annum 1058. Obiit Faventiæ in Apoſtolica Legatione anno 1071.

S. Anſelmus Auguſtanus Pedemontium, ductore Lanfranco Becci in Normania Monachus Ordinis Ciſtercienſis, tum Prior, deinde Abbas, tandem Can-

tuarienſis in Anglia Archiepiſcopus creatus. Vir fuit ingenio acerrimus, ſanctitate celeberrimus, miraculis conſpicuus. Floruit ſub Vrbano II. Pontifice, & Henrico III. Imperatore. Obiitque vndecimo Kalendas Maij, anno 1109.

S. Bernardus natione Burgundus, patria Fontanus, Galliarum decus, Abbas Claravallenſis, vir Apoſtolicus, miraculis clarus, ſapientiâ illuſtris, pietate inſignis, multa ſcripſit, plurima geſſit. Floruit circa annum 1130.

S. Laurentius Iuſtinianus Venetus, Canonicus Regularis, Venetiarum Epiſcopus & Protopatriarcha, doctrina eximius, ſanctitatē conſpicuus, & miraculorum gloria celebris. Claruit decimo quinto ſeculo circa annum Domini 1440. Obiit anno 1455.

APPROBATIO.

NOs infraſcripti Doctores Theologi, certum facimus legiſſe Librum cui titulus eſt, *Floſculi Sanctorum Patrum*; in quo nihil contra Fidem Catholicam, Apoſtolicam & Romanam, reperimus: ſiquidem Floſculi in operibus Sanctorum Patrum collecti, fideliter referuntur, & ideo dignum cenſemus qui typis mandetur. Datum Pariſiis, anno Dom. 1667. die 26. Auguſti.

ROBEAV.

EVDES.

PRIVILEGE DV ROY.

LOVIS par la grace de Dieu Roy de France & de Navarre, à nos amez & feaux les gens tenans nos Cours de Parlemens, Maistres des Requestes ordinaires de nostre Hostel, Bailllifs, Seneschaux, Prevost de Paris où leurs Lieutenans. Salut. Nostre bien amé Florentin Lambert Marchand Libraire Imprimeur à Paris : Nous a fait remontrer qu'il luy a esté mis és mains vn Livre intitulé *Flosculi Sanctorum Patrum*, qu'il desireroit faire imprimer & donner au public, tant en Latin qu'en François : mais il craint qu'en ayant fait la dépence, d'autres le voulussent faire imprimer à son préjudice, s'il ne luy estoit par Nous pourveu de nos Lettres de Privilege, qu'il nous a tres-humblement fait supplier luy octroyer: à ces causes voulant favorablement traiter l'Exposant, Nous luy avons permis & accordé par ces presentes d'imprimer ou faire imprimer ledit Livre intitulé *Flosculi Sanctorum Patrum*, en tels volumes, marges, caracteres & autant de fois que bon luy semblera, tant en Latin qu'en François, pendant le temps de sept années consecutives, à commencer du jour qu'il sera achevé d'imprimer, iceluy vendre & distribuer par tout nostre Royaume : faisons deffences à tous Libraires, Imprimeurs & autres, d'imprimer, faire imprimer, vendre & distribuer ledit Livre, sous quelque pretexte que ce soit, mesme d'impression étrangere, ou autrement, sans le consentement dudit Exposant, ou de ses ayans cause, sur peine de

S. AVGVSTINI FLOSCVLI.

AREOLA VII.

OMnis Scriptura divinitus inspirata, utilis est ad docendum. Hac de causa à Spiritu Sancto conscripta est: idest, ut veluti ex communi quodam sanitatis fonte, omnes nobis ex hac remedia proprijs passionibus assumamus.

In librum Psalmorum Prologus. Tim. 3.

Alia sunt quæ Prophetiæ tradunt, alia quæ Historia, Lex quoque alia, Proverbiorum etiam alia commonitio: Psalmorum vero liber quæcumque utilia sunt ex omnibus continet. Futura prædicit, veterum gesta commemorat,

legem viventibus tribuit, gerendorum ſtatuit modum. Et ut breviter dicam, communis quidam bonæ doctrinæ the aurus eſt, apte ſingulis neceſſaria ſubminiſtrans. Veteribus namque animarum vulneribus novit mederi, ſed & recentibus velociſſimum ſolet adhibere remedium, atque in actis perſeverantiam ſcit ſalutis adhibere: ſed & univerſis pariter paſſionibus ſubvenire, quæ dominationibus varijs humanas animas angunt.

Spiritus Sanctus videns obluctantem ac reſiſtentem ad virtutis viam humani generis animum, & ad delectationes vitæ hujus magis inclinari, quàm ad virtutis rectum iter erigi, delectabilibus modulis cantilenæ vim ſuæ doctrinæ permiſcuit: ut dum ſuavitate carminis mulcetur auditus, divini ſermonis pariter utilitas inſeratur, ſecundum ſapientes Medicos, qui ſi quando uſus popoſcerit, auſteriora medicamenta ægris offerunt mortalibus: ne æger utilitatem præ auſte-

ritate refugiat, & ora ac summitates poculi quo remedium porrigunt, melle circumlinunt. Propterea ergo Psalmorum nobis per modulos apta sunt carmina, ut vel ætate puerili, vel qui adolescentes sunt moribus, quasi cantilena quadam psallentes delectari videantur.

Si qua per vim & difficultatem aliquam animis nostris fuerint inserta, continuo dilabuntur. Ea vero quæ cum gratia & dilectione suscipimus, nescio quo pacto magis residere in mentibus, ac memoriæ videntur inhærere.

Quid est quod non discatur in Psalmis?

Non fere quisquam est, qui careat amore dominandi, & humanam non appetat gloriam. *In Ps. 1. enarratio.*

Unusquisque id bonum vult à Deo impetrare quod diligit, nec facile inveniuntur, qui diligant bona interiora, idest, ad interiorem hominem pertinentia, quæ sola diligenda sunt. *In Ps. 4. enarratio.*

In Ps. 5. enarratio. Duo ſunt omnino genera mendaciorum in quibus non magna culpa eſt, ſed tamen non ſunt ſine culpa: cum aut jocamur, aut ut proximus proſimus, mentimur. Illud primum in jocando, ideo non eſt pernicioſiſſimum, quia non fallit. Novit enim ille cui dicitur, joci cauſa eſſe dictum. Secundum autem ideo mitius eſt, quia retinet nonnullam benevolentiam.

Cum punit Deus, ut judex punit eos qui legem prætereunt: non eis inferens de ſeipſo malum, ſed in id quod elegerunt eos expellens, ad complendam ſummam miſeriarum. Homo autem cum malum pro malo reddit, malo voto id facit: & ob hoc prior ipſe malus eſt, dum punire vult malum.

Bona voluntas Dei præcedit bonam voluntatem noſtram, ut peccatores vocet in pœnitentiam.

Vocatio non meritorum noſtrorum, ſed benevolentiæ Dei eſt.

Rom. 8. *Si Deus pro nobis, quis contra*

nos? Qui proprio filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum. Si enim adhuc cum inimici essemus, Christus pro nobis mortuus est: multo magis reconciliati, salui erimus ab ira per ipsum. *Rom. 5.* Hoc est invictissimum scutum, quo repellitur inimicus desperationem salutis suggerens, multitudine tribulationum & tentationum.

Nos quod nescire nos Dominus noluit, libenter nesciamus. *In Ps. 6. enarratio.*

Sic loqui gaudentes solent, ut non eis sufficiat semel enunciare quod gaudent.

Majoris patientiæ est nec ei mala rependere, qui acceptis beneficiis reddit malâ pro bonis, quàm si nullo ante accepto beneficio nocere voluisset *In Ps. 7. enarratio.*

Homines usque ad interfectionem corporis sæviunt, animam vero post istam visibilem mortem in potestate habere non possunt. Diabolus autem quas animas persecutus comprehenderit, possidebit.

Iſta eſt vera innocentia, quæ nec inimico nocet.

Videtur conſummata nequitia hominum qui crucifixerunt filium Dei: ſed eorum maior eſt, qui nolunt recte vivere, & oderunt præcepta veritatis, pro quibus crucifixus eſt filius Dei.

Finis curæ delectatio eſt: quia eo quiſque curis & cogitationibus nititur, ut ad ſuam delectationem perveniat.

Opera noſtra quæ factis & dictis operamur, poſſunt eſſe nota hominibus, ſed quo animo fiant, & quo per illa pervenire cupiamus ſolus ille novit qui ſcrutatur corda & renes Deus.

Duo ſunt officia medicinæ: unum quo ſanatur infirmitas: alterum quo ſanitas cuſtoditur.

Si (Dominus) medicinam exhibet qua ſanemur infirmi, quanto magis eam qua cuſtodiamur ſani? Quoniam ſi cum adhuc peccatores eſſemus, Chriſtus pro nobis mortuus eſt, quanto magis nunc

iustificati, salui erimus ab ira per ipsum?

Malo voto per peccatum legentes, male coguntur intelligere.

Non poterit labor finiri, nisi hoc quisque diligat quod invito non possit auferri.

Non transit ad summam pacem, ubi summum silentium est, nisi qui magno strepitu prius cum suis vitijs belligeraverit. *In Ps. 9. enarratio.*

Non convertitur anima ad Deum, nisi dum ab hoc seculo avertitur. Nec oportunius ab hoc seculo avertitur, nisi nugatorijs ejus, & noxijs, & perniciosis voluptatibus labores doloresque misceantur.

Nemo gratuletur homini, qui prosperatur in via sua, cujus peccatis deest ultor, & adest laudator: major hæc ira Domini est. Multum irascitur, dum non exquirit, dum quasi obliviscitur, & non attendit peccata, & per fraudes & scelera ad amicitias honoresque pervenitur.

Animus male ſibi conſcius, dum ſibi videtur nullam pœnam pati; credit quod non judicet Deus; & ſic auferuntur judicia Dei à facie ejus, cum hæc ipſa ſit magna damnatio.

Nihil eſt laborioſius iniquitate & impietate.

Prima perſecutio Eccleſiæ violenta fuit, cum proſcriptionibus tormentis, cædibus Chriſtiani ad ſacrificandum cogerentur. Altera perſecutio fraudulenta eſt, quæ nunc per hæreticos & falſos fratres agitur. Tertia supereſt per Antichriſtum ventura, qua nihil eſt periculoſius, quoniam & violenta & fraudulenta erit.

Si una facies intueatur plura ſpecula, quod in illa ſingulare eſt, de illis pluribus pluraliter redditur.

In Pſ. 9. enarratio. Noli timere, ſi Chriſtianus es, dominum hominem, Dominum Deum tuum ſemper time. Malum in te time, hoc eſt cupiditatem tuam: non quod in te Deus fecit,

ſed quod tibi ipſe feciſti.

Initium peccati omnis ſuperbia. Non leve malum eſt hoc vitium, fratres mei: huic vitio in his perſonis, quas videtis amplas, diſplicet humilitas chriſtiana. Propter hoc vitium dedignantur colla ſubdere jugo Chriſti, obligati arctius jugo peccati. Non enim ſervire non eis continget; Nolendo ſervire, nihil aliud agunt quàm ut bono Domino non ſerviant, non ut omnino non ſerviant: quia qui noluerit ſervire charitati, neceſſe eſt ut ſerviat iniquitati. *In Pſ. 18. enarratio.*

Paſſio Domini celebratur: tempus gemendi eſt, tempus flendi, tempus confitendi, & deprecandi. *Præfat. in 2. expoſit. Pſ. 21.*

Sub medicamento poſitus ureris, ſecaris, clamas, non audit Medicus ad voluntatem, ſed audit ad ſanitatem. *Ejuſdē Pſalmi expoſitio 2.*

Omnibus dico, quia in tribulatione poſitus Chriſtianus probatur, ſi non derelinquit Deum ſuum.

Fornax aurificis magni Sacra-

menti res eſt. Ibi eſt aurum, ibi eſt palea, ibi ignis in anguſto operatur. Ignis ille non eſt diverſus, & diverſa agit, paleam in cinerem vertit, auro ſordes tollit.

In quibus habitat Deus, utique in tribulatione meliores fiunt, tanquam aurum probati.

Eccleſia magna totus orbis eſt.

Dominus eſt divitiæ pauperum.

Divites quærunt, unde arcam impleant, & pauperes quærant unde cor impleant.

In Pſal. [illegible]. enar. 2. Laudando te bonum, ſis malus.

In Pſal. 26. enar. 2. Nec ipſa quæ temporaliter accipimus, auferre nobis quiſquam poteſt, niſi ſolus ille qui dedit. Spiritalia quæ donat non aufert; niſi tu dimiſeris. Carnalia vero & temporalia ipſe aufert, quia & quiſquis alius aufert, ipſo donante poteſtatem, aufert.

Quia nobis nemo poteſt auferre, quod dat Deus, non timeamus niſi Deum.

Sicut non vincitur qui dat, ſic non aufertur quod dat.

Multi miſeri ſunt magis habendo quod amant, quàm carendo. Amando enim res noxias miſeri, habendo ſunt miſeriores. Et propitius Deus cum male amamus, negat quod amamus: iratus autem dat amanti, quod male amat. Habet evidenter dicentem Apoſtolum: *Tradidit illos Deus in concupiſcentiam cordis eorum.* Rom. 1. Dedit ergo, quod amabant, ſed damnando. Habes rurſus negantem petitum; *Propter quod ter Dominum rogavi*, inquit, *ut auferret eam à me*, ſtimulum videlicet carnis, *& dixit mihi: ſufficit tibi gratia mea. Nam virtus in infirmitate perficitur.* Ecce illos dedit in concupiſcentiam cordis eorum, Paulo Apoſtolo negavit quod oravit. Illis dedit ad damnationem, huic negavit ad ſanitatem.

Cum id amamus quod vult Deus ut amemus, proculdubio daturus eſt nobis.

Præfat. in enar. 2. Ps. 29. Unusquisque malus apud se habet voluntatem nocendi: ut autem possit nocere, non habet in potestate. Vt velit, jam reus est: ut possit, occulta dispensatione providentiæ Dei in alium permittitur ad pœnam, in alium permittitur ad probationem, in alium permittitur ad coronam. Ad pœnam quomodo permissi sunt Allophili, idest, alienigenæ capere populum Israël, quia peccaverunt in Deum. Ad probationem autem permissus est Diabolus in Job. Ad coronam vero permissi sunt persecutores in Martyres.

Concio 1: de principio Ps. 30. Duobus modis dicimus finem, vel quo fit ut non sit quod erat, vel quo fit ut perfectum sit quod inchoatum erat.

Sicut corpus unum & membra habet multa, omnia autem membra corporis cum sint multa, unum est corpus: sic & Christus membra multa, unum corpus.

Ioan. 15. *Sine me nihil potestis facere.* Domine si sine te nihil, totum in

e. Etenim quicquid ille operatur per vos, nos videmur operari. Poteſt ille multum & totum ſine nobis, nos nihil ſine ipſo.

Non eſt diu quod habet extremum.

Vt evadas hominem dominum quicumque ſervus es, fugis in ea loca ubi non eſt dominus tuus: ut evadas Deum, fuge ad Dominum. Nam non eſt quo fugias Deum.

Mori neceſſe eſt & nemo vult. Nemo vult quod neceſſe eſt. Nemo vult quod erit, velit, nolit.

Volumus pervenire ad regnum Dei, ſed per mortem nolumus: & tamen dicit tibi neceſſitas: hac venies. Hac venire dubitas homo, cum hac ad te venerit Deus?

Si nos reſpexerimus in tempore tribulationis, gaudebimus in tempore retributionis. *Concio. 2. de medio Pſ. 30.*

Omnibus pejus vivunt mali Chriſtiani.

De ſarmentis præciſis fabri nihil

facere possunt, ignis ea solus expectat. Attendite, fratres, cum sylvatico ligno ubique præponatur sarmentum manens in vite, quia sarmentum dat fructum, illud lignum non dat fructum: præciso tamen sarmento de vite si comparetur lignum sylvaticum, intelligitur esse melius, quia de illo faber aliquid facere potest, hoc autem non quærit nisi ut foco ministret.

Obscurius dixerunt Prophetæ de Christo, quàm de Ecclesia: puto propterea quia videbant in spiritu contra Ecclesiam facturos esse particulas, & de Christo non tantam litem habituros, de Ecclesia magnas contentiones excitaturos.

Pene ubique Christus in aliquo involuto Sacramento prædicatus est à Prophetis, Ecclesia aperte: ut viderent illam & qui futuri erant contra illam.

Concio. 3. de fine Psal. 30. Intelligendi sunt inimici pro quibus orandum sit, & contra quos orandum sit. Inimici homines qualescumque fuerint, non sunt odio

pendi: ne cum odit malus quem titur malum, ſint duo mali. iligat bonus & quem patitur nalum, ut vel unus ſit unus malus. Illi inimici contra quos orandum eſt, Diabolus & Angeli ejus: pſi nobis invident regnum cælorum, ipſi nolunt ut nos aſcendamus illuc unde illi deiecti ſunt. Ab his oremus erui animam noſtram.

Illi maxime perſequuntur Eccleſiam, qui Chriſtiani nolunt bene vivere. Per hos enim opprobrium habet Eccleſia, & ab his inimicitias ſuſtinet: quando corripiuntur, quando male vivere non permittuntur, quando cum eis vel verbo agitur, ipſi mala in cordibus ſuis meditantur, & erumpendi occaſionem quærunt.

Invocas Deum quando in te vocas Deum. Hoc eſt enim illum invocare, illum in te vocare, quodammodo eum in domum cordis tui invitare.

Quid tibi de his, quæ fecit

Deus, ſufficit, cui Deus ipſe non ſufficit?

Omnia iſta quæ amant homines, quia noluit illa habere Chriſtus, ut non habendo oſtenderet, contemnenda, non quia in poteſtate non habuit poſſidenda, omnes qui amant hæc contemnunt illum.

Non ſine cauſa ſignum ſuum Chriſtus in fronte nobis figi voluit, tanquam in ſede pudoris, ne Chriſti opprobrio Chriſtianus erubeſcat.

Vileſcat totum quicquid præter Deum eſt.

Vindicari vis Chriſtiane? Nondum vindicatus eſt Chriſtus. An tu paſſus es improbum, & ille non paſſus eſt? Nonne prior pro te paſſus eſt, qui non habebat quare pateretur?

In te tribulatio fornax artificis eſt, ſi tamen aurum ſis, & non palea, ut ſordibus careas, non in cinerem convertaris.

Præfat. in Pſ. 31. Ne præſumas ad regnum de juſtitia tua, ne præſumas ad peccandum

n de misericordia Dei.

Ne multa cogites de opere fidei, dej illi spem, & dilectionem, noli cogitare quid opereris. sa dilectio vacare non potest.

Ipsa charitas bene operantis, t ei spem bonæ conscientiæ; em enim gerit bona conscientia. iomodo mala conscientia tota disperatione est: sic bona conscientia tota in spe.

Qui vult habere bonam spem, beat bonam conscientiam.

Charitas ubi fuerit necesse est operetur.

Nihil mihi prodest fides sine aritate.

Deus tegat vulnera; non tu. am si tu tegere volueris, erubescens, medicus non curabit. Medicus tegat & curet, emplastro im tegit. Sub tegmine medici natur vulnus; sub tegmine vulnerati celatur vulnus. *In Psal. 31. enar. 1.*

Non est magnum gloriari in gaudijs, gloriari in lætitijs: rectus corde etiam tribulatione gloriatur. *enar. 2.*

Iob. 1. *Dominus dedit, Dominus abstulit.* Non dixit; Dominus dedit; Diabolus abſtulit. Prorſus ad Deum tuum refer flagellum tuum, quia nec Diabolus tibi aliquid facit, niſi ille permittat, qui deſuper habet poteſtatem, aut ad pœnam, aut ad diſciplinam.

Concio 1. de 1. parte Pſ 32. Solus non habet (Dominus) quod diſpliceat nobis.

Ille placet Deo, cui placet Deus.

Si vos vobis terrena fragilitate viluiſtis, ex pretio veſtro vos appendite; quid manducetis, quid bibatis, digne cogitate.

Quis ſic delectat, quàm ille qui fecit omnia quæ delectant?

Qui timendo non facit male, mallet facere, ſi liceret.

Ex bono ſervo fit bonus filius.

Amatores lubrici & damnabiles feminarum quando amatæ ipſorum componunt illos ſecundum oculos ſuos, ſi ipſis placeant, non curant eos quibus diſplicent, putantes ſibi ſufficere quod earum

culis placent ad quas affectant. i ergo illi non curant reprehenores veraces, ut sint formosi falces; nos in his rebus, in quibus lacemus sapientiæ Dei, non deemus curare irrisores injustos, on habentes oculos unde videant uod amamus.

Fidelis homo est credens proittenti Deo, fidelis Deus est hibens quod promisit homini.

Misericordiæ tempus modo est, dicij tempus post erit.

Miseria hominis plena est terra, misericordia Domini plena est rra. *Concio 2. de 2. parte ejusdẽ Psalmi.*

Omnia indigent Domino, & isera & felicia. Sine illo miseri n sublevantur, sine illo felix n regitur.

Omnes beati esse volunt, non tem erunt nisi illi qui justi esse luerint.

Quicquid quæsieris in terra, detius est quàm tu.

Aurum & si volueris, forte non bebis: Deum cum volueris, habis.

Unde beati erimus? Deum possidendo. Quid ergo? Nos possidebimus eum, & ille non nos possidebit? Unde ergo Esaïas, *Domine posside nos*? Possidet ergo & possidetur, & totum propter nos. Ut enim nos ex illo beati simus, possidetur à nobis: ut autem ille beatus sit, non possidet nos. Et possidet nos, & possidetur à nobis, non ob aliud nisi ut nos beati simus. Possidemus eum & possidet nos, quia colimus eum, & colit nos. Colimus eum tanquam Dominum Deum, colit nos tanquam terram suam. Quia colimus eum, nemo dubitat: quia colit nos, quis nobis indicat? Ille qui ait: *Ego sum vitis, vos estis sarmenta, pater meus agricola.*

Esay. 26.

Ioan. 13.

Singulatim membra formata sunt omnia, singillatim habent opera sua, & tamen in unitate corporis vivunt: manus facit quod oculus non facit; auris id valet, quod nec oculus nec manus valet: omnia tamen unitatem operantur,

manus, & oculus, & auris di-
ersa faciunt, nec sibi adversantur.

Tempus famis est modo, tempus
turitatis post erit.

Qui nos in fame huius corruptio-
s non deserit, immortales factos
uomodo satiabit?

Non dubitemus exigere de Do-
ino Deo nostro misericordiam,
ult omnino exigi à se.

Ferebatur Christus in manibus In P. 33. concio 1.
is, quando commendans corpus
um ait: *Hoc est corpus meum*:
ebat enim illud corpus in ma-
bus suis.

Esto humilis, si vis benedicere conc. 2.
ominum in omni tempore.

Nolo solus magnificare Domi-
m, nolo solus amare, nolo solus
plecti: non enim si ego ample-
s fuero, non habet alius ubi ma-
s ponat.

Si amatis Deum, rapite omnes
amorem Dei qui vobis jungun-
r, & omnes qui sunt in domo
stra.

Beati qui gaudent quando in-

trant ad cor ſuum, & nihil mali ibi inveniunt. Attendat ſanctitas veſtra quomodo nolunt intrare domos ſuas qui habent malas uxores: quomodo exeunt ad forum & gaudent: cœpit hora eſſe qua intraturi ſunt in domum ſuam, & contriſtantur: intraturi ſunt enim ad tædia, ad murmura, ad amaritudines, ad everſiones: quia non eſt domus compoſita, ubi inter virum & uxorem pax nulla eſt: & melius illis eſt foris circumire. Si ergo miſeri ſunt, qui cum redeant ad parietes ſuos timent ne aliquibus ſuorum perturbationibus evertãtur: quanto ſunt miſeriores qui ad conſcientiam ſuam redire nolunt, ne ibi litibus peccatorum evertantur?

Pſal. 33. *Inquiſivi Dominum, & exaudivit me.* Qui ergo non exaudiuntur, non Dominum quærunt. Intendat ſanctitas veſtra, non dixit: Inquiſivi aurum à Domino, & exaudivit me: inquiſivi à Domino ſenectutem, & exaudivit me: inquiſivi à Domino hoc aut illud, & exaudi-

t me: Aliud eſt enim aliquid in-
uirere à Domino, aliud ipſum
ominum inquirere. *Inquiſivi*,
q it, *Dominum, & exaudivit me.*
rgo noli aliquid à Domino extra
uærere, ſed ipſum Dominum
uære, & exaudiet te, & adhuc te
oquente dicet: Ecce adſum.

Semper dies mali in ſeculo, ſed
mper dies boni in Deo.

Si murmurantem ſervum in do-
o magna non audiret paterfami-
s, quereretur, & diceret: Quan-
nos hîc patimur, & nemo nos
dit? Nunquid dicis illud de Deo,
uanta patior, & nemo me audit?
audiret me, forte dicis, tolleret
hi tribulationem: clamo, & tri-
lor. Tantum tu tene vias eius, &
ando tribularis audit te. Sed
edicus eſt, adhuc putre habes
ſcio quid. Clamas, ſed adhuc
cat, & non tollet manum, niſi
cuerit quantum videtur: etenim
edicus crudelis eſt, qui exaudit
minem, & parcit vulneri & pu-
edini. Matres quomodo fricant

in balneis ad salutem filios? Nonne parvuli clamant inter manus earum? Illæ ergo crudeles sunt ut non parcant, non exaudiant lacrymas? Nonne plenæ sunt pietate? Et tamen clamant pueri, & non eis parcitur. Sic & Deus noster plenus est charitate, sed ideo videtur non exaudire, ut sanet & parcat in sempiternum.

Vere magnus Dominus, & misericordia ejus, vere qui nobis dedit manducare corpus suum in quo tanta perpessus est, & sanguinem bibere.

Concio 1. de 1. parte Psal. 34. *Apprehende arma & scutum, & exurge in adjutorium mihi.* Magnum spectaculum est, videre Deum armatum pro te. Et quod ejus scutum? quæ arma? *Domine,* (Psal. 5.) inquit alio loco homo iste qui & hîc loquitur, *ut scuto bonæ voluntatis tuæ coronasti nos.* Arma autem ejus, quibus non solum nos muniat, sed etiam percutiat inimicos, si bene profecerimus, & nos erimus: sicut enim nos ut armemur, ab-

o illo habemus, ſic ipſe armatur
e nobis. Sed ipſe de his armatur
uos fecit, nos de his armamur
uæ ab ipſo accepimus qui nos fe-
t. Dicit hæc quodam loco arma
oſtra Apoſtolus, ſcutum fidei, *Epheſ. 6*
: galeam ſalutis, & gladium
iritus quod eſt verbum Dei.
rmavit nos talibus armis, qua-
ous auditis, laudabilibus &
victis, inſuperabilibus & ſplen-
dis, ſpiritalibus ſane & inviſi-
libus, quibus & hoſtes inviſi-
les expugnamus. Si vides ho-
em tuum, videantur arma tua.
rmamur earum rerum fide, quas
on videmus, & ſternimus hoſtes
uos non videmus. Veruntamen,
ariſſimi, arma iſta ne putetis ſic
e, ut quaſi quod ſcutum eſt,
mper ſcutum ſit: aut quod galea
, ſemper galea ſit: aut quod lo-
ca eſt, ſemper lorica ſit. In iſtis
im armis corporalibus ita eſt,
uanquam & de ferro quæ fiunt
utari poſſint, ut ex gladio fiat ſe-
ris: tamen ipſum Apoſtolum

1. Thess. 5. videmus dixisse quodam loco *loricam fidei*, & alio loco dixisse *scu-*
Ephes. 6 *tum fidei*. Ergo ipsa fides & lorica potest esse & scutum. Scutum est, quia tela inimicorum excipit & repellit: lorica est, quia interiora tua transfigi non sinit. Hæc arma nostra sunt Dei, quod legimus quodam in loco: *Erue ab impijs animam meam, frameam tuam ab inimicis manus tuæ.* Quod superius dixit, *ab impijs*, hoc sequenti versu, *ab inimicis manus tuæ*: & quod superius dixit, *animam meam*, hoc sequenti versu, *frameam tuam*, id est gladium tuum. Ergo frameam Dei dixit animam suam. *Erue*, inquit, *ab impijs animam meam* id est ab inimicis manus tuæ erue frameam tuam. Apprehendis enim animam meam, & debellas inimicos meos Et quid est anima nostra, quamvis splendida, quamvis producta, quamvis acuta, quamvis uncta, quamvis luce sapientiæ & coruscationis vibrata? Quid est ipsa anima nostra, aut quid potest,

i Deus illam teneat, & pugnet
illa? Nam quælibet optime fa-
framea, si non habeat bellato-
n, jacet. Dixeramus autem in
nis nostris, non quasi aliquid
um accipi debere, ut quod est
una, ipsa aliud esse non possit:
& in armis Dei invenimus. Ecce
imam justi dixit frameam Dei:
um dicit animam justi esse se-
n Dei, animam justi sedem sa-
ntiæ. Ergo quicquid vult facit
anima nostra.

lum quære qui deesse nunquam
est. Subtrahuntur quæ dedit,
quid subtrahitur qui dedit?

Tota ista vita, & omnia quibus
ris in hac vita, sic tibi debent
tanquam stabulum viatori,
tanquam domus habitatori.

Nemo malus qui non sibi prius
eat: sic enim esse putate mali-
n, quomodo ignem. Incendere
aliquid aliud, illud quod ad-
ves, prius ardet: nisi ardeat, non
endit. Facula est hanc faculam
onis, ut aliquid incendat: nun-

quid non ipsa facula, quam apponis, prior ardet, ut aliquid possit incendere?

Malitia tua ut alteri non noceat, fieri potest: ut autem tibi non noceat, fieri non potest.

Si tibi Imperator diceret: Pete quod vis; quos tribunatus, comitatusve ructares? Quanta tibi proponeres & accipienda, & aliis largienda? Deo tibi dicente: Pete quod vis; quid petiturus es? Excute mentem tuam, exerce avaritiam tuam, protende quantum potes, & dilata cupiditatem tuam: non quicumque, sed omnipotens Deus dixit: Pete quod vis. Si possessionum es amator, desideraturus es totam terram, ut omnes qui nascuntur, coloni tui aut servi tui sint. Et quid, cum totam terram possederis? Mare petiturus es, in quo vivere tamen non poteris. In hac avaritia te pisces superabunt: sed forte insulas possidebis. Transcende & hæc, pete & aërem, quamvis volare non possis: por-

ge cupiditatem tuam uſque ad
ælum, dic tuum eſſe ſolem, lu-
im, ſtellas, quia ille qui fecit
nnia dixit: Pete quod vis: tamen
hil invenies carius, nihil inve-
es melius quàm ipſum qui fecit
nnia. Ipſum pete qui fecit, & in
o, & ab illo habebis omnia quæ
cit. Omnia cara ſunt, quia om-
a pulchra ſunt. Sed quid illo pul-
rius eſt? Fortia ſunt: ſed quid illo
rtius eſt? Et nihil magis vult da-
quàm ſe. Si aliquid inveneris
elius, pete. Si aliud petieris, in-
riam facies illi, & damnum tibi,
æponendo illi quod fecit, cum
lit ſeipſum tibi dare, qui fecit.
Magna miſericordia ipſius (Do-
ni) & monuit ut bene vivamus,
diem nobis noviſſimum mortis
ſtræ abſcondit, ne nobis de fu-
ro aliquid promittamus.
Dominus voluntate paſſus eſt, *Concio*
os neceſſitate: ille miſeratione, *2. de 2.*
os conditione. Proinde illius vo- *parte*
ntaria paſſio, noſtra eſt neceſſaria *Pſ. 34.*
nſolatio: ut quando talia forte

perpetimur, intueamur caput nostrum, ut ejus exemplo commoniti dicamus nobis: Si ille, quid nos: & quemadmodum ille, ita & nos.

Nullum majus, nullum melius negocium est in tribulatione, quàm recedere ab eo strepitu qui foris est, & ire in interiora mentis secretaria, ibi Deum invocare, ubi nemo videt gementem & subvenientem. Illius cubiculi adversus omnem extrinsecus illatam molestiam ostium claudere, humiliare seipsum in confessione peccati, magnificare, & laudare Deum & corripientem & * consulentem.

consolantem.

Maria ex Adam mortua, propter peccatum, Adam mortuus propter peccatum: & caro Domini ex Maria mortua est propter delenda peccata.

Secundum quod Verbum est, Christus non orat, sed exaudit.

Martyres non facit pœna, sed causa.

Medicus qui ad salutem adhibetur, nonne ferro plerumque arma-

ur? Sed contra vulnus, non contra ominem. Secat ut ſanet: & tamen um ſecat ægrotum, dolet ille, clanat, reſiſtit; & ſi forte febre menem perdiderit, etiam Medicum ædit; nec tamen ille deſiſtit à ſaute ægrotantis, quod novit facit: lum maledicentem, convicиantem on curat.

Sermo Dei adverſarius tuus eſt, tu amicus ſis iniquitatis tuæ. Si utem tu adverſarius ſis iniquitais tuæ, ſermo Dei amicus tuus ſt, & adverſarius iniquitatis tuæ. i ergo odiſti iniquitatem tuam, ungis te ſermoni Dei: & eritis duo dverſus illam perimendam, tu & ermo Dei. *In Pſ. 35. enarratio.*

Illi ſunt recticordes, qui ſequuntur voluntatem Dei. Voluntas Dei eſt aliquando ut ſanus ſis, liquando ut ægrotes. Si quando ſanus es, dulcis eſt voluntas Dei, & quando ægrotas, amara eſt voluntas Dei: non recto corde es. Quare? Quia non vis voluntatem tuam dirigere ad voluntatem

Dei, ſed Dei vis curvare ad tuam.

Bene eſt in hoc ſeculo, benedicatur Deus qui conſolatur: laboratur in hoc ſeculo, benedicatur Deus qui emendat & probat.

Quomodo Medicus non curat quicquid audiat a phrenetico, ſed quomodo convaleſcat & fiat ſanus phreneticus: nec ſi pugnum ab illo accipiat, curat: ille illi facit nova vulnera, ille veterem febrem ſanat: ſic & Dominus ad ægrotum venit, ad phreneticum venit, ut quicquid audiret, quicquid paſſus eſſet contemneret.

Concio. 1. de 1. parte. Pſ. 36. Noviſſimus dies terribiliter venturus auditur eis qui ſecuri eſſe bene vivendo nolunt, & male vivere diu volunt. Utiliter autem Deus latere voluit illum diem, ut ſemper ſit paratum cor ad expectandum, quod eſſe venturum ſcit, & quando venturum ſit neſcit.

Omnis morbus animæ habet in Scripturis medicamentum ſuum.

Infirmitas facit diu videri quod cito eſt.

Ardet palea, ut aurum purgetur.

Ægre fert & injuſtus juſtum, & ſtus injuſtum, oneri ſibi ſunt: emo dubitat, quod iſti duo, al-rutrum ſibi oneri ſunt, ſed di-erſis intentionibus. Ad hoc enim ſtus injuſto oneri eſt, quia inju-um eum eſſe non vult: ſed eum ſtum fieri, & optat votis, & co-tur factis. Injuſtus autem ſic dit juſtum, ut nolit eum eſſe, non bonum velit eſſe. Quanto enim onus eſt, tanto magis oneri eſt iquitati illius. *Concio. 2. de 2. parte Pſ. 36.*

Attendis quo perveniſti, & non tendis qua trajeciſti.

Nihil nocet juſto.

Quid ſibi plaudit iniquus, quia gellum te illo fecit pater meus? lum aſſumit ad miniſterium, me udit ad patrimonium. Nec at-ndere debemus quantum per-ittat injuſtis, ſed quantum ſer-et juſtis. Sed debemus optare iam illis ut convertantur, & fla-ellentur.

Quiſquis malus eſt, maleficum

eſt. Torqueatur neceſſe eſt ſibi ſeipſo tormento. Ipſe eſt enim pœna ſua, quem torquet conſcientia ſua. Fugiet ab inimico quo potuerit, à ſe quo fugiet?

De nullo vivente deſperandum eſt.

Quid à te vult Deus, aut quid exigit Deus, niſi quod tibi promiſit?

Habet ſemper unde det, cui plenum pectus eſt charitatis. Ipſa eſt charitas, quæ dicitur & voluntas bona.

Plus à te Deus non exigit, quàm quod tibi intus dedit.

Vacare non poteſt voluntas bona.

Cum ſequeris viam Chriſti, non tibi ſeculi proſperitates promittas. Per dura ambulavit, ſed magna promiſit. Sequere. Noli tantum attendere qua iturus, ſed & quo venturus ſis.

Si vis ſuſtinere laborem, attende mercedem.

Viam Chriſti ſi vis, & vere

hriſtianus es, ipſe eſt enim Chri-
anus, qui non aſpernatur viam
hriſti, ſed vult viam Chriſti ſe-
ui per paſſiones ipſius, noli per
iam viam velleire, quàm per il-
m qua ipſe ivit. Dura videtur,
d ipſa eſt tuta via: alia forte de-
cias habet, ſed latronibus ple-
a eſt.

Omnes qui ab initio ſeculi fue- *Concio*
nt juſti; caput Chriſtum ha- *3. de 3.*
ent Illum enim venturum eſſe *parte*
ediderunt, quem nos jam veniſ- *Pſal. 36.*
credimus, & in ejus fide & ipſi
nati ſunt, in cujus & nos: ut eſ-
t & ipſe totius caput civitatis
Ieruſalem, omnibus connume-
tis fidelibus, ab initio uſque in
nem, adjunctis etiam legionibus
exercitibus Angelorum, ut fiat
la una civitas ſub uno Rege, &
na quædam provincia ſub uno
mperatore, felix in perpetua pa-
e & ſalute, laudans Deum ſine
ne, beata ſine fine.

Deus noſter, qui te prohibet
ſſe fœneratorem, jubet te eſſe

fœneratorem: & dicitur tibi: fœnera Deo. Si fœneras homini habet spem & si fœneras Deo, spem non habebis? Si fœneraveris homini, id est, mutuam pecuniam tuam dederis à quo aliquid plusquam dedisti expectes excipere, non pecuniam solam, sed aliquid plus quàm dedisti, sive illud triticum sit, sive vinum, sive oleum, sive quodlibet aliud: si plus quàm dedisti, expectas accipere, fœnerator es, & in hoc improbandus, non laudandus. Quid ergo, inquis, facio ut sim utilis fœnerator? Attende quid facit fœnerator. Minus vult dare, & plus accipere. Hoc fac & tu. Da modica, accipe magna. Vide quàm late crescat fœnus tuum. Da temporalia accipe æterna: da terram, accipe cælum. Et cui dabo? forte dicis. Ipse Dominus procedit, quem fœneres, qui tibi jubebat, ne fœnerator esses. Audi Scripturam, quomodo fœneres Dominum. *Fœnerat*, inquit, *Dominum qui misere-*

Prov. 19.

pauperis. Non enim eget à te
ominus ſed habet alium qui à te
eat. Illi porrigis, ille accipit.
on enim habet pauper quod tibi
tribuat: & tamen ipſe vult retri-
uere, & non invenit quid, ſola
illo remanet benevolentia oran-
pro te. Cum autem pauper orat
o te tanquam Deo dicit: Domi-
mutuum accepi, * fide dic me. * *fide duc.*
roinde & ſi non tenes pauperem
dditorem, ſed idoneum tenes
lejuſſorem. Ecce Deus tibi de
riptura ſua dicit: da, ſecurus
to, reddam. Quomodo ſolent
cere fidejuſſores. Quid dicunt?
go reddo, ego accipio, mihi das.
itamuſne & hoc dicit Deus,
o accipio, mihi das? Plane ſi
eus Chriſtus, quod non dubita-
r, ipſe dixit: *Eſurivi & dediſtis* *Math. 25.*
ihi manducare. Et cum illi dice-
nt: *Quando te vidimus eſurien-*
m: ut oſtenderet ſe pauperum
dejuſſorem, omnium membro-
im ſuorum ſponſorem, quia ille
iput; illi membra; & cum acci-

piunt membra, caput accipit: *cum uni, inquit, ex his minimis meis fecistis, mihi fecistis.*

Noli spoliare vestitum, ut vestias nudum.

Liberat à laqueo verbum Dei in corde, liberat à via prava verbum Dei in corde, liberat à lapsu verbum Dei in corde.

Si expellatur Diabolus, admittitur Deus.

Fidei oculos qui non habent, dolent felicitatem impiorum, & putant se sine causa esse justos, quia vident hîc florere impios.

Quantum gaudeo de gratia Dei, tantum de præteritis meis timeo.

In Ps. 37 enarratio. Medicamentum famis est cibus, & medicamentum sitis est potus, & medicamentum fatigationis est somnus. Detrahe ista medicamenta, vide si non interficiunt illa quæ existunt.

Quicquid amamus, & non habemus, necesse est ut doleamus.

Cant. 2. *Vulnerata charitate ego sum.* Qui hoc vulnere non fuerit vul-

atus, ad veram ſanitatem non
eſt pervenire.

'era ſanitas quæ eſt? Immor-
tas.

pſum deſiderium tuum oratio
eſt: & ſi continuum deſide-
m, continua oratio.

Si non vis intermittere orare,
li intermittere deſiderare.

Quando Deus judex erit, alius
tis quàm conſcientia tua non
t. Inter judicem juſtum, &
nſcientiam tuam noli timere niſi
ıſam tuam. Si cauſam malam
n habueris, nullum accuſato-
n pertimeſces, nullum falſum
tem refelles, nullum requires.
ı tantum bonam conſcientiam
er.

Aliquando peccatores in hac
:a aut non aut minus flagellan-
r, quia jam deſperata eſt inten-
) eorum. At vero illi, quibus
ıratur vita ſempiterna, neceſſe
t ut hîc flagellentur.

Flagella ſua dolent homines;
ıare flagellantur non dolent.

Non de flagello dolor: de vulnere, non de medicina. Nam flagellum medicamentum eſt contra peccata.

Chriſtiani ſumus, & tamen plerumque ſi filius cujuſquam moriatur, plangit illum: ſi peccet, non illum plangit.

Ne ſecurus ſis cum confeſſus fueris peccatum, tanquam ſemper præparatus ad confitendum & committendum peccatum. Sic pronuncia iniquitatem tuam, ut curam geras pro peccato tuo. Quid eſt curam gerere pro peccato tuo? Curam gerere pro vulnere tuo. Si diceres, curam geram pro vulnere meo, quid intelligeretur niſi, dabo operam ut ſanetur? Hoc eſt enim curam gerere pro delicto, ſemper niti, ſemper intendere, ſemper ſtudioſe & ſedulo agere ut ſanes peccatum.

Tu contemnis egentem tui, Deus non te contemnet egentem ſui?

In Pſ. 38. enarrat. Contemnis pauperem, contemneris à divite.

Da quod habes, ut merearis
ipere quod non habes.
Qui putant ſe aliquid habere
n hîc vivunt, ſuperbiendo non
ipiant qnod deeſt: quia ma-
um putant eſſe quod adeſt.
Non ſic Chriſto induti ſumus,
ex Adam jam nihil portemus.
pſa eſt gratia beneficij Dei pri-
redigere nos ad confeſſionem
rmitatis.
Quid in hac terra certum eſt
mors? Conſiderate omnia
nino vel bona, vel mala vitæ
us, vel in ipſa iuſtitia, vel in
ı iniquitate. Quid hîc certum
, niſi mors? Profeciſti: quid ſis
die, ſcis: quid ſis craſtino, neſ-
Speras pecuniam, incertum
an proveniat. Speras uxorem,
ertum eſt an accipias, vel qua-
ı accipias. Speras filios, in-
tum eſt an naſcentur. Nati ſunt,
ertum eſt an vivunt. Vivunt,
ertum eſt an proficiant, an de-
ant. Quocumque te verteris, in-
ta omnia, ſola mors certa. Pau-

per es, incertum eſt an diteſcas. Indoctus, incertum eſt an erudiaris. Imbecillis, incertum eſt an convaleſcas. Natus es, certum eſt quia morieris: & in hoc ipſo quia mors ipſa certa eſt, dies mortis incertus eſt. Itaque hæc incerta, ubi ſola mors certa, cuius etiam hora incerta: & ſola multum cavetur, quæ nullo modo devitatur.

In Pſ. 39. enarrat. Sicut adulter homo lætatur in nequitia ſua, cum carnem corrumpit: ſic & Diabolus lætatur, quando mentem corrumpit.

Sicut Patribus noſtris adverſus Leonem opus erat patientia, ſic nobis adverſus Draconem vigilantia. Perſecutio tamen ſive à Leone ſive à Dracone nunquam ceſſat Eccleſiæ; & magis metuendus eſt cum fallit, quàm cum ſævit. Illo tempore cogebat Chriſtianos negare Chriſtum: iſto autem tempore docet Chriſtianos negare Chriſtum. Tunc cogebat, nunc docet. Tunc ergo ingerebat violentias, nunc inſidias. Videbatur

nc fremens, lubricus nunc & oerrans difficile videtur. Quomodo autem tunc cogebat Chrianos negare Chriſtum, apertum t: Attrahebantur enim ut ne irent Chriſtum, & confitens Chriſtum coronabantur. Nunc item docet negare Chriſtum, ideo fallit quia qui docetur gare Chriſtum, quaſi non ſibi detur recedere à Chriſto. Modo im quid dicitur ab hæreticis hoinibus Chriſtiano Catholico? eni, eſto Chriſtianus.

Innovatus amet nova quibus novatur.

Diſce amare in creatura Crearem, & in factura factorem: ne neat te quod ab illo factum eſt, amittas eum à quo & ipſe faus es.

Hoc ſæculum mare eſt. Habet naritudinem noxiam, habet flucus tribulationum, tempeſtates ntationum. Habet homines vet piſces de ſuo malo gaudentes, tanquam ſe invicem devorantes.

Antiqui quando adhuc ſacrificium verum quod fideles norunt, in figuris prænunciabatur, celebrabant figuras futuræ rei, multi ſcientes, ſed plures ignorantes. Nam Prophetæ & Sancti Patriachæ noverant quod celebrabant: Cætera autem multitudo iniqua carnalis ſic erat, ut fieret de illa quod ſignificaret poſteriora ventura.

Non auderem converti niſi ſecurus de remiſſione: non durarem perſeverare, niſi ſecurus de promiſſione.

Nemo ſibi promittat quod Evangelium non promittit.

Fratres mei, obſecro vos, attendite Scripturas noſtras ſi aliquid fefellerunt, ſi aliquid dixerunt, & aliter accidit quàm dixerunt. Neceſſe eſt ut uſque ad finem ſic fiant omnia, quemadmodum dixerunt. Non nobis promittunt Scripturæ noſtræ in hoc ſæculo, niſi tribulationes, preſſuras, anguſtias, augmenta dolorum,

bundantiam tentationum. Ad ista
os præcipue paremus, ne impara-
deficiamus.

Mutandum est cor, levandum
st cor, non hîc habitandum cor-
e. Hæc mala regio est. Sufficiat
uod adhuc carne hîc esse necesse
st. Quod non est necesse, non
at.

Ad multiplicandam Ecclesiam *In Ps.*
aluit Sanctus sanguis effusus se- *40.*
ninatione. *Præfat.*

Implere venit pauperes, qui
auper effectus est.

Quod modo non vis credere, *In Ps.*
nanifestum erit in fine. Sed non 40. *e-*
ugies, cum fuerit manifestum, *narrat.*
uia non credis cum esse occul-
am. Invitaris ut quod non vides
redas, ne cum videris erubescas.

Non conqueratur (homo)
uando in his, quæ innocenter ha-
et, patitur aliquas tribulationes.
Docetur amare meliora per ama-
itudinem inferiorum, ne viator
endens ad patriam, stabulum amet
ro domo sua.

Si iuſtus eſt qui putredinem non habebat, ſi medicina ipſa noſtra ignem medicinalem non reſpuit, patienter ferre debemus urentem Medicum & ſecantem, id eſt, omnibus tribulationibus nos exercentem, & à peccato ſanantem. Plane committamus nos Medici manui; non enim errat ut ſanum pro putri ſecet. Novit quod inficit, novit vitium, quia ipſe fecit naturam: quid ipſe condidit, quid de noſtra cupiditate acceſſit, diſcernit. Scit ſe ſano homini præceptum dediſſe ne langorem incurreret: dixiſſe in Paradiſo: hoc manduca, & hoc noli: Non audivit ſanus Medici præceptum, ut non caderet: audiat vel ægrotus, ut ſurgat.

In Pſ. 41. enarrat. Video quæ fecerit Deus meus, non autem video ipſum Deum meum qui fecit hæc.

Non videri Deus niſi animo poteſt.

Mali cum hîc differuntur, ad pœnas ſine fine reſervantur: &

ni cum hîc laborant, exercen-
r ut in fine hæreditatem conse-
antur.

In domo Dei festivitas sempi-
rna est: non enim aliquid ibi ce-
bratur & transit: festum sempi-
rnum, chorus Angelorum, vul-
s præsens Dei, lætitia sine de-
ctu.

Nemo currit ad remissionem
ccatorum, nisi qui displicet sibi.

Vis orationem tuam volare ad *In Ps. 42*
eum? Fac illi duas alas, jejunium *enarra-*
eleemosynam. *tio.*

Si semper Deus in istis prospe- *In Ps. 43*
tatibus faceret nobis, ut omnia *enarra*
obis abundarent, nullamque in *tio.*
mpore isto mortalitatis nostræ
ibulationem, nullas pressuras,
ngustiasque pateremur: non dice-
emus nisi ista esse summa bona
uæ præstat Deus servis suis, &
najora ab illo non desideraremus.
deo huic vitæ male dulci miscet
maritudines tribulationum, ut
lia quæ salubriter dulcis est re-
quiratur.

Deo futura tam certa ſunt, tanquam præterita ſint.

Crux ipſa & pro ipſis perſequentibus facta eſt.

Non laudatur in illo jejunium, qui ad luxurioſam cœnam ſervat ventrem ſuum.

Noli talia ſperare tibi danda à Deo, qualia hîc jubet contemnere.

Plerumque homo putat ſe poſſe quod non poteſt: aut putat ſe non poſſe quod poteſt. Accedit ad illum interrogatio ex divina diſpenſatione, & per interrogationem notus fit ſibi. Nunquid Petrus noverat ſe, quando dixit Medico: *Tecum ſum uſque ad mortem.* Medicus noverat vena inſpecta quid intus ageretur in ægroto, ægrotus non noverat. Venit acceſſio tentationis, & probavit Medicus ſententiam ſuam, perdidit æger præſumptionem ſuam.

Mat. 26

In Pſ. 44 *enarratio.*

Conjunctio nuptialis, Verbum & caro. Hujus conjunctionis thalamus, Virginis uterus.

Aſſumpta

A ſſumpta eſt Eccleſia ex genere
umano, ut caput eſſet Eccleſiæ
ſa caro Verbo conjuncta, & cæ-
ri credentes membra eſſent illius
pitis.
Placet juveni alicui Deo ſervire,
iſplicet patri: diviſi ſunt adverſus
. Ille promittit terrenam heredi-
tem, ille amat cæleſtem. Aliud
e pollicetur, aliud ille eligit. Non
bi putet pater factam injuriam,
eus ſolus illi præfertur, & tamen
igat cum filio volente ſervire
eo. Sed fortior eſt ille gladius
iritalis ſeparans, quàm copulans
tura carnalis.
Nemo ſibi multum de miſeri-
rdia Dei blandiatur, virga dire-
ionis eſt. Sic eum dilige miſeri-
rdem, ut velis eſſe veracem: non
im miſericordia poteſt illi au-
rre juſtitiam, neque juſtitia miſe-
cordiam. Interim quamdiu ille
iffert, tu noli differre.
Hoc nomen, quod appellatur
hriſtus, unctionis eſt: nec in ali-
uo alibi ungebantur Reges &

Sacerdotes, nisi in illo regno ubi Christus prophetabatur & ungebatur; & unde venturum erat Christi nomen.

In Ps. 45 enarratio. In omni tribulatione ad Deum confugiendum est: sive sit tribulatio in re familiari, sive sit in salute corporis, sive de periculo carissimorum, sive de aliqua re ad hujus vitæ sustentaculum necessaria, omnino aliud refugium non debet esse homini Christiano quàm Salvator ejus, quàm Deus ejus, quo cum confugerit, fortis sit: non enim ipse in se fortis erit; sed ille illi fortitudo erit, qui refugium ejus factus est.

Inter omnes tribulationes humanæ animæ, nulla est major tribulatio quàm conscientia delictorum: namque si ibi vulnus non sit, sanumque sit intus hominis quod conscientia vocatur, ubicumque alibi passus fuerit tribulationes, illuc confugiet, & ibi inveniet Deum. Si autem ibi requies non est propter abundantiam iniquitatis,

oniam & ibi Deus non eſt, quid
turus eſt homo? Quo confugiet,
n cœperit pati tribulationes?
giet ab agro ad civitatem, à pu-
co ad domum, à domo in cubi-
lum, & ſequitur tribulatio. A
biculo jam quo fugiat non ha-
t, niſi interius ad cubile ſuum.
rro ſi ibi tumultus eſt, ſi fumus
quitatis, ſi flamma ſceleris, non
ıc poteſt confugere: pellitur
im inde; & cum inde pellitur, à
pſo pellitur. Et ecce hoſtem ſuū
venit quo confugerat, ſeipſum
o fugiturus eſt? Quocumque
gerit ſe, talem trahit poſt ſe: &
ocumque talem traxerit ſe, cru-
ıt ſe.

Quid gravius peccatori ægro
àm Medici interfectio? Quid
avius poteſt æger facere, quàm
Medicum ſuum occidat? Cum
oc dimittitur, quid non dimit-
tur?

Omnia divina eloquia ſalubria *In Pſ. 48*
nt bene intelligentibus, pericu- *enarra-*
ſa vero his qui ea volunt ad ſui *tio.*

cordis perversitatem detorquere potius, quàm suum cor ad eorum rectitudinem corrigere.

Hæc est in hominibus magna & usitata perversitas, quia cum debeant vivere ipsi secundum voluntatem Dei, Deum volunt vivere secundum voluntatem suam: & cum nolunt corrigi, illum volunt depravari, rectum non arbitrantes quod ille vult, sed quod ipsi volunt.

Et divites & pauperes in corde interrogat Deus, non in arca & domo.

Bibe æger calicem amarum, ut sanus sis, cui non sunt sana viscera. Noli trepidare, quia ne trepidares, prior bibit Medicus, id est, passionis amaritudinem bibit prior Dominus: bibit qui peccatum non habebat; qui quod in eo sanaretur, non habebat.

Concio 2. de 2. parte Ps. 48. Mors equidem quam timent homines, separatio est animæ à corpore: mors autem vera, quam non timent homines, separatio est ani-

e à Deo. Et plerumque cum ti-
nt homines iſtam quæ ſeparat
imam à corpore, incidunt in il-
n ubi anima ſeparatur à Deo.
Quod pateris tranſit, finitur:
od accepturus es, finem non ha-
bit. Nolo jam æques pœnam
m præmio, temporalia æqua
ernitati, ſi potes.
mago Dei intus eſt, non eſt in
rpore.
Timeamus, mutemur, & non ti- *In Pſ. 49 enarratio.*
ebimus.
Eſt nunc in poteſtate quid fa-
ıs, ne illud quod & te nolente
nturum eſt, non correctus expe-
ıris.
Si non veniret ignis Dei judicij,
ſola peccatoribus immineret ſe-
ratio à facie Dei, in qualibet
ſent affluentia deliciarum, non
dentes à quo creati ſunt, & ſepa-
ti ab illa dulcedine ineffabilis
ıltus ejus, in qualibet æternitate
impunitate peccati plangere ſe
eberent. Sed quid loquàr, aut
uibus loquar? Hæc amantibus

pœna eſt, non contemnentibus. Qui dulcedinem ſapientiæ & veritatis utcumque ſentire cœperunt, noverunt quod dico: quanta pœna eſt tantummodo à facie Dei ſeparari.

Supplicia terreant quem præmia non invitant.

Vile tibi eſt quod Deus pollicetur, contremiſce quod minatur.

Minis Dei, minis æterni ignis prohiberis à malo, invitaris ad bonum. Unde piget, niſi quia non credis?

Si credimus futurum judicium, fratres, bene vivamus.

Dominus poſt reſurrectionem jubet mitti retia in dexteram partem, levantur piſces centum quinquaginta tres. Et cum tanti & magni eſſent, ait Evangeliſta, retia non ſunt dirupta: etenim ante Paſſionem juſſit mitti retia, non dicens in dexteram partem neque in ſiniſtram; quia ſi in dexteram diceret, ſolos bonos ſignificaret: ſi in ſiniſtram, ſolos malos. Ubi au-

Ioan. 21.

em tacetur dextera & ſiniſtra,
nixti capiuntur boni & mali. Ca-
pti ſunt autem tunc, ſicut Evange- *Mat.13.*
ij veritas teſtatur, tam multi ut
etia rumperentur: ſignificabat
enim illa captura hoc tempus. Re-
ia rupta ſignificant conſciſſuras
hæreticorum & ſchiſmaticorum.
Quod autem poſt reſurrectionem
uam Dominus fecit, poſt reſurre-
ctionem noſtram nobis futurum
ignificavit, in illo numero regni
ælorum, ubi nullus erit malus.
Propterea retia, quæ in dexteram
artem miſſa ſunt, dexteros ex-
preſſerunt, remotis ſiniſtris.

Et ſi grana latent in palea, agri-
olæ nota ſunt. Nemo timeat eſſe
granum inter paleam, non fallun-
ur oculi ventilatoris noſtri.

* Pretium quæris à Deo, ut ali- *præmiũ*
quid tibi det Deus: ut quod tibi
dederit, tuum ſit? Ecce ipſe Deus
qui dabit, tuus eſt. Quid eo ditius?
Dona quærebas, ipſum donatorem
habes.

Quid quærit ab homine, videa-

mus, Deus noſter, Imperator & Rex noſter? Quod vectigal nobis indicit, quoniam voluit eſſe Rex noſter, & voluit nos eſſe provinciam ſuam? Audiamus indictiones ejus, non trepidet pauper ſub indictione Dei. Quod ſibi Deus dari indicit, ipſe prius donat qui indicit: vos tantum devoti eſtote. Non exigit Deus quod non dedit, & omnibus dedit quod exigit.

Eſt quidam ignis flagrantiſſimæ charitatis, animus inflammetur charitate, arripiat eadem charitas membra in uſum ſuum, non ea permittat militare cupiditati: ut totus exardeſcat igne amoris divini qui vult offerre Deo holocauſtum.

Alia poſſeſſio Dei, alia hominis: id eſt, aliud eſt poſſidere Dei, aliud poſſidere hominis: non enim tu quod poſſides totum habes in poteſtate, aut quamdiu vivat bos tuus in tua poteſtate eſt: aut ut non pereat, aut non paſcatur.

Venit (Deus) eſurire & ſaginare, ſitire & potum dare, venit ve-

ri mortalitate, & vestire immortalitate, venit pauper divites faurus: etenim non perdidit diviis suas, assumendo paupertatem ostram.

Ara tua, conscientia tua. *Immola Deo sacrificium laudis.* Psal. 49.

Hoc ipsum quod cum Deo nonim sumus, hoc ipsum quod inter ntationes molestiasque versaur, quod sine timore esse non ossumus, tribulatio est: non enim t illa securitas quæ nobis proissa est. Hanc tribulationem pegrinationis suæ qui non invene-:, ad patriam redire non cogitat. Si cogitemus & attendamus ubi nus, & ubi nos futuros esse proisit, qui mentiri nescit: ex ipsa us promissione invenimus, in qua mus tribulatione. Hanc tribulaonem nemo invenit, nisi qui uæsierit. Sanus es, vide si miser s: nam facile est ut qui ægrotat, ntiat se miserum. Quando sanus s, vide si miser es, quia cum Deo ondum es.

Vide ne vivas male, & cantes bene.

Psal.49 Peccatori dicit Deus: *Vt quid tu enarras justitias meas, & assumis testamentum meum per os tuum?* Videtis, fratres, cum quo tremore ista dicamus. Assumimus testamentum Dei per os nostrum, & prædicamus vobis eruditionem & justitias Dei. Et quid dicit peccatori Deus? Vt quid tu prædicas? Prohibet ergo Prædicatores peccatores? Et ubi est illud: *Quæ di-* Mat.23. *cunt facite; quæ autem faciunt, facere nolite?* Ubi est illud: *Sive* Philip.1. *veritate, sive occasione Christus annuncietur?* Sed hæc dicta sunt, ne timeant qui audiunt à quocumque audiant: non ut securi sint qui dicunt bona, & faciunt mala. Modo ergo, fratres, securi estis: si bona auditis, Deum auditis, per quemlibet audiatis. Sed noluit Deus sine correptione dimittere illos qui dicunt; ne ob hoc solum quod dicunt, securi sibi obdormiscant in mala vita, & dicant sibi:

Ieque enim perdet nos Deus, per
uorum os voluit tanta bona dici
opulo suo. Imo vero audi quod
icit: Quicumque dicis, & qui vis
audiri, prior te audi: & dic quod
alio Psalmo quidam: *Audiam*
uid in me loquatur Dominus.
Qualis ergo ego, qui non audio
uod in me loquitur, & volo ut alij
udiant quod per me loquitur?
udiam prior, audiam maxime.
Quæ audiam? Quod loquitur in
ne Dominus Deus, quoniam lo-
uetur pacem in plebem suam.
udiam, & castigem corpus meũ,
servituti subjiciam, ne forte
iis prædicans, ipse reprobus in-
eniar. *Vt quid tu enarras justitias*
eas? Ut quid tu quod non pro-
est tibi? Admonet illum ut audiat,
on ut deponat prædicationem,
d ut assumat obedientiam.

Non laudat, qui male vivendo
ffendit Dominum.

Ut facilius sanetis, sani perma- *In Ps. 50. enarratio.*
ere debetis.

Multi cadere volunt cum David,

& nolunt surgere cum David.

Non sit delectatio minorum, casus majorum; sed sit casus majorum, tremor minorum.

Multi res adversas timent, res prosperas non timent. Periculosior est res prospera animo, quàm adversa corpori. Prius corrumpit prospera, ut inveniat quod frangat adversa.

Adversus felicitatem acrius vigilandum est.

Quando David sanctus Saulem inimicum patiebatur, quando illius persecutionibus agitabatur, quando per diversa fugiebat, ne in manus ejus incideret, non concupiscebat alienam, non adulterata uxore occidit virum.

Peccatum cum desperatione, certa mors. Nemo ergo dicat: Si jam aliquid mali feci, jam damnandus sum. Deus malis talibus non ignoscit, cur non addo peccata peccatis? Fruar hoc seculo in voluptate, in lascivia, in cupiditate nefaria. Jam perdita spe reparationis, vel hoc

abeam quod video; si non possum
abere quod credo.

Implora misericordiam, sed at-
nde justitiam. Misericordia est
: ignoscat peccanti, justitia est ut
iniat peccatum.

O incredibilis insania! De vul-
ere ipso non erubescis, de ligatura
ulneris erubescis.

Est regnum terrenum, ut brevi- *In Ps. 51*
r dicam, & cito insinuem, hodie *enarra-*
i isto seculo, ubi est & regnum *tio.*
ęleste. Peregrinos habet cives
ios utrumque regnum, regnum
rrenum, & regnum cæleste; re-
num eradicandum, & regnum in
ternum plantandum. Modo in
oc seculo cives utriusque regni
ermixti sunt. Corpus regni terre-
i, & corpus regni cælestis com-
nixtum est. Regnum cęleste gemit
nter cives regni terreni, & ali-
quando; nam & hoc tacendum
ion est, quodammodo regnum
errenum angariat cives regni cæ-
orum, & regnum cæleste angariat
ives regni terreni.

Ea quæ ad destructionem fiunt, facillime fiunt.

Una scintilla omnem segetem incendere quivis potest.

Suscipere infantem, natum nutrire, educare, ad juvenilem ætatem perducere, magnum officium est: occidere vero illum uno puncto temporis quivis potest.

Nomen Dei jucundum est amantibus Deum super omnes jucunditates.

In Psal. 52 enarratio. Filius Dei particeps nostræ mortalitatis effectus est, ut mortalis homo fiat particeps divinitatis suę.

Qui tibi promisit communicandum tecum bonum suum, prius tecum communicavit mala tua.

Deus gratis se vult coli, gratis se vult diligi, hoc est caste amari: non propterea se amari, quia dat aliquid propter se, sed quia dat se.

Deus non implet arcam, sed pectus.

Quid tibi prosunt exteriores divitiæ, si te interior premit egestas?

Novit (Deus) quando det, cui *In Ps.*
t: quando auferat, & cui au- *53 e-*
at. *narrat.*

Pete tu in hoc tempore quod ti-
profit in posterum, pete quod
adjuvet in æternum.

Perfectio nostra Christus est. *In Ps.*

Ne putetis gratis esse malos in *54. e-*
c mundo, & nihil boni de illis *narrat.*
ere Deum. Omnis malus aut
eo vivit ut corrigatur: aut ideo
vit, ut per illum bonum exer-
atur.

Si bonus es, inimicum non ha-
bis nisi malum.

Nunquid tu habes inimicum,
Deus non habet? Tu quidem
m habes inimicum, qui tecum
eatus est: ille vero eum quem
eavit. Inimicos Dei malos &
iquos sæpe in Scripturis legi-
us, & parcit eis ille qui non ha-
et quod ei imputet inimicus, cui
mnis inimicus ingratus est: ab
lo enim habet quicquid boni ha-
et. Ab ipso enim habet miseri-
ordiam quicquid est etiam unde

tribulatur. Ad hoc enim tribulatur ne ſuperbiat: ad hoc tribulatur ut humilis agnoſcat excelſum. Tu ergo inimico tuo, quem intolerabiliter pateris, quid præſtitiſti?

Quid eſt timendum quando pateris inimicum? Ne conturbetur in te dilectio, qua diligis inimicum. Etenim inimicus ille homo, caro & ſanguis, quod videt in te appetit. Alius autem inimicus occultus, rector harum tenebrarum quas tu pateris in carne & ſanguine, alterum occultum tuum petijt, theſauros tuos interiores deprædari & vaſtare molitur. Duos ergo inimicos conſtitue tibi ante oculos: unum apertum, & alterum occultum. Apertum, hominem: occultum, Diabolum. Homo ille hoc eſt quod tu ſecundum naturam humanam, ſecundum fidem autem & dilectionem nondum quod tu, ſed poterit eſſe quod tu. Cum ergo ſint duo, unum vide, alterum intellige: unum dilige, alterum cave. Namque

ue & inimicus ille quem vides,
oc in te vult humiliare unde vin-
tur. Verbi gratia, si divitijs tuis
ncitur, pauperem te vult facere:
vicibus tuis vincitur, debilem
vult facere. Ea ergo attendit in
vel dejicere vel auferre quibus
ncitur: & ille occultus inimicus
uid tibi vult tollere unde vinci-
r. Homo enim hominem vincis
umana felicitate, Diabolum au-
m vincis inimici dilectione.
uomodo ergo homo ambit au-
rre tibi & detruncare aut averte-
felicitatem qua vincitur: sic &
iabolus hominem vult vincere
ıferendo unde vincitur: ded cura
corde servare inimici Silectio-
em, qua Diabolum vincis. Sæviat
omo quantum potest, auferat
uicquid potest: si diligitur aperte
eviens, victus est occulte sæviens.
In omni congregatione multi-
ıdinis necesse est ut inveniantur
ali.
Intolerabiliter pateris, quia non
enit tibi in mentem quid pro te

pertulerit Christus.

Et propinquat palea tritico: de uno semine exit, in uno agro radicatur, una pluvia nutritur, eundem messorem patitur, eandem triturationem sustinet, eandem ventilationem expectat, non in unum horreum intrat.

In Ps. 55. enarrat. Si non pateris pro Christo ullam tribulationem, vide ne nondum cœperis in Christo pie vivere. Cum autem cœperis in Christo pie vivere, ingressus es torcular. Præpara te ad pressuras, sed noli esse aridus, ne de pressura nihil exeat.

Omnis homo in hac vita peregrinus est.

Noli dicere: numquid ecce talem hominem Deus correcturus est, tam malum, tam perversum? Noli desperare: quem roges attende, non pro quo roges. Magnitudinem morbi vides, potentiam Medici non vides?

Omnium quidem Deus est: sed eorum Deus proprie dicitur, qui eum diligunt, qui eum tenent, qui illum possident, qui illum colunt.

Est malum quod (Deus) non
it bonis, & est bonum quod non
it malis: sunt quædam media &
ona & mala, quæ dat & bonis &
alis.

Non est castum cor, si Deum ad
ercedem colit.

Quantumlibet sis avarus, suffi-
t tibi Deus.

Finis propositi nostri Christus *In Ps.*
t, quia quantumlibet conemur, *56. e-*
illo perficimur, & ab illo perfi- *narrat.*
mur; & hæc est perfectio nostra
illam pervenire: sed cum ad
um perveneris, ultra non quæ-
, finis tuus est. Quomodo enim
is viæ tuæ locus est quo tendis,
o cum perveneris, iam mane-
s: sic finis studij tui, conatus tui,
tentionis tuæ ille est ad quem
rtendis, ad quem cum perve-
ris, ultra nihil desiderabis, quia
elius nihil habebis.

Ipse & exemplum nobis viven-
propoſuit in hac vita, & præ-
ium vivendi dabit in futura vita.

Totum hominem suscepit Ver-

bum, & totus homo factus est Verbum.

Ad hoc oravit (Christus) ut doceret orare: ad hoc passus est, ut doceret pati: ad hoc resurrexit, ut doceret sperare resurrectionem.

Codicem portat Judæus unde credat Christianus.

Qualèm vesaniam patiantur hæretici, quæso ut attendatis. Illi præcisi à compagine Ecclesiæ Christi, & partem tenentes, totum amittentes, nolunt communicare orbi terrarum quo diffusa est gloria Christi. Nos autem Catholici in omni terra sumus, quia omni terræ communicamus quacumque gloria Christi diffusa est. Videmus enim quod tunc cantatum est, modo completum: *Exaltatus est super cælos Deus noster, & super omnem terram gloria ipsius?* O hæretica insania, quod non vides credis mecũ: quod vides negas. Credis mecum exaltatum Christum super cælos, quod

on videmus: & negas gloriam
jus super omnem terram, quod
idemus.

Christianos oculos habete, no-
te decipi visibilibus.

Non vis modo dirumpi vincula, *In Ps.*
quia non sentis vincula tua: etiam *57. e-*
delectant te, & voluptati sunt: *narrat.*
enties in fine cum dicetur: *Liga-* *Matth.*
e illi manus & pedes, & projicite *22.*
llum in tenebras exteriores, ibi erit
letus & stridor dentium.

Non undecumque datur simili-
udo à Scripturis, laudatur ipsa res:
ed tantum inde similitudo trahi-
ur. Non enim laudavit iniquum
udicem qui nolebat audire illam
iduam, qui nec Deum timebat,
nec homines reverebatur: & ta-
nen inde similitudinem Dominus
raxit. Nec illum laudavit pigrum
qui tres panes non propter amici-
tiam dedit petetnti, sed tædio vi-
ctus: & tamen inde similitudi-
nem dedit.

De traduce natus es cum eo
quod vincas. Noli tibi hostes ad-

dere, vince cum quo natus es. Ad ſtadium vitæ hujus cum illo veniſti, congredere cum eo qui te cum proceſſit. Ipſo non victo quare provocas cateruas concupiſcentiarum.

Delectatio carnalis cum homine naſcitur. Sed qui bene eruditur, cito videt hoſtem ſuum, & aggreditur, & luctatur, & cito vincit. Idoneus eſt enim nondum creſcentibus hoſtibus. Qui autem illam concupiſcentiam cum qua de peccati propagine natus eſt, contemnit vincere, & multas adhuc excitat exeritque libidines, difficulter eas ſuperat, & adverſus ſeipſe diviſus, igne proprio concrematur.

Pœnitentia hujus temporis, dolor medicinalis eſt: pœnitentia illius temporis, dolor pœnalis eſt.

1. partis Pſ. 58. enarratio. Phreneticis nihil fortius, valentiores ſunt ſanis: ſed quanto majores vires, tanto mors vicinior. Fortitudo iſta non ſanitatis eſt, ſed inſaniæ.

Invitentur ad nuptias boni & mali, impleantur nuptiæ recumbentium. Servorum eſt invitare, Domini ſeparare.

Non poteſt impunitum relinqui peccatum.

Iniquitas omnis parva magnave ſit, puniatur neceſſe eſt, aut ab ipſo homine pœnitente, aut à Deo vindicante. Nam & quem pœnitet, punit ſeipſum. Ergo fratres, puniamus noſtra peccata, ſi quærimus miſericordiam Dei. Non poteſt Deus miſereri omnium operantium iniquitatem quaſi blandiens peccatis, aut non eradicans peccata? Prorſus aut punis, aut punit. Vis non puniat? Puni tu. Nam & illud feciſti, quod impunitum eſſe non poſſit, ſed à te puniatur potius, ut facias quod in illo Pſalmo ſcriptum eſt: *Præveniamus faciem ejus in confeſſione.* Quid eſt, *Præveniamus faciem ejus in confeſſione?* Antequam ipſe attendat ut puniat, tu præveni confitendo, & puni. Non ille inveniat quod Pſ. 94.

puniat: quia cum tu punis iniquitatem, facis æquitatem. Et ideo miserebitur Deus, quia jam te operantem æquitatem invenit Deus. Quid est, operantem æquitatem? Quia hoc in te odisti quod & ille odit, ut incipias placere Deo, dum hoc in te punis quod displicet Deo.

Ille sic voluit mori ut sanguine suo, etiam effusores ejusdem sanguinis redimeret.

Concio 2. de 2. parte Ps. 58. Ridendi sunt qui se de mortalibus jactant: à quibus rebus plerumque aut vivi deseruntur, aut mortui eas necesse est ut deserant.

Omnia vitia in malefactis timenda sunt, superbia in benefactis plus metuenda est.

Bonum est humiliari peccatorum: nemo est insanabilior eo qui sibi sanus videtur.

Omnipotenti Medico nihil est insanabile, non renunciat alicui: opus est ut tu curari velis, opus est ut manus ejus non refugias: sed & si nolis curari vulnus tuum, ad-

monet

ionet ut cureris: & aversum re-
ocat & refugientem quodammo-
o ad se redire compellit & at-
ahit.

Non misereris (Domine) nisi
ascaris. *In Ps. 59. enarrat.*

Quanto magis differtur judi-
ium, tanto majore impetu ven-
irum est.

Et de temporalibus tribulatio-
ibus gratias Deo agamus.

Intelligat charitas omnem fide-
m habentem in corde verbum
ei, cum timore timentem judi-
um futurum; viventem proba-
liter, ne de illo blasphemetur
omen sanctum Domini ejus,
ulta deprecari secundum secu-
in; & non exaudiri: ad vitam
tem æternam semper exaudiri.
uis enim sanitatem non petat,
m ægrotat? Et tamen forte ad-
ic ægrotare ei utile est. Potest
eri ut hîc non exaudiaris: non
nen exaudiris ad voluntatem,
exaudiaris ad utilitatem. At ve-
cum illud petis, ut det tibi vi-

tam æternam Deus, ut det tibi regnum cælorum Deus, ut det tibi ad dexteram filij sui stare, cum venerit judicare terram: securus esto, accipies, si modo non accipis; non enim iam venit tempus ut accipias. Exaudiris, & nescis. Quod petis agitur, & nescis in quo agitur.

Alia sarcina premit & aggravat te, Christi autem sarcina sublevat te. Alia sarcina pondus habet, Christi sarcina pennas habet. Nam & avi si pennas detrahas, quasi onus tollis: & quo magis onus abstulisti, eo magis in terra remanebit. Quam exonerare voluisti, iacet. Non volat, quia tulisti onus: redeat onus & volat. Talis est Christi sarcina. Portent illam homines, non sint pigri, non attendantur illi qui eam ferre nolunt: ferant illam qui volunt, & invenient quàm sit levis, quàm suavis, quàm iucunda, quàm rapiens in cælum, & à terra eripiens.

Tribulationes maximæ non oriuntur adverſum Eccleſiam, niſi ab eis qui lege male utuntur.

Vita noſtra in hac peregrinatione non poteſt eſſe ſine tentatione: quia profectus noſter per tentationem fit, nec ſibi quiſque innoteſcit niſi tentatus, nec poteſt coronari niſi vicerit, nec poteſt vincere niſi certaverit, nec poteſt certare niſi inimicum & tentationes habuerit. *In Pſ. 60.*

Quoniam nos ipſos quod eſt corpus ſuum, voluit (Chriſtus) præfigurare & in illo corpore ſuo, in quo iam & mortuus eſt, & reſurrexit & in cælum aſcendit: ut quo caput præceſſit, illuc ſe membra ſecutura confidant. Ergo nos transfiguravit in ſe, quando voluit tentari à Satana. In Chriſto enim tu tentabaris, quia Chriſtus de te ſibi habebat carnem, de ſe tibi ſalutem: de te ſibi mortem, de ſe tibi vitam: de te ſibi contumelias, de ſe tibi honores. Ergo de te ſibi tentationem, de ſe tibi vi-

ctoriam. Si in illo nos tentati sumus, in illo nos Diabolum superamus. Attendis quia Christus tentatus est, & non attendis quia vicit. Agnosce te in illo tentatum, & te in illo agnosce vincentem. Poterat à se Diabolum prohibere: sed si non tentaretur, tibi tentando vincendi magisterium non præbetet.

In illo vides & laborem tuum, & mercedem tuam. Laborem in passione, mercedem in resurrectione.

Deducit tanquam dux, & in se ducit tanquam via, & ad se perducit tanquam patria.

Non perdet nos Deus propter quos filium suum misit tentari, crucifigi, mori, resurgere. Non vere nos despicit Deus, propter quos *filio proprio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit eum.*

Habemus duas vitas, sed unam in qua sumus, alteram quam speramus. In qua sumus, nota nobis est: quam speramus, ignota nobis

ſt. Tolera in qua es, & habebis
quam nondum habes. Quomodo
oleras? Vt non vincaris à tenta-
ore. Laboribus ſuis, tentationi-
bus, paſſionibus, morte ſua de-
monſtravit tibi vitam Chriſtus in
qua es: reſurrectione ſua demon-
ſtravit tibi vitam in qua eris. Nos
enim non noveramus niſi naſci
hominem & mori: reſurgere ho-
minem, & vivere in æternum, non
noveramus. Suſcepit quod nove-
ras, & demonſtravit quod non
noveras. Ideo ergo factus eſt ſpes
noſtra in tribulationibus, in ten-
tationibus.

Ipſe Chriſtus eſt turris: ipſe no-
bis factus eſt turris à facie inimici,
quia eſt & petra ſuper quam ædi-
ficata eſt Eccleſia. Cave ne feria-
ris à Diabolo, fuge ad turrim.
Nunquam te ad illam turrim dia-
bolica iacula ſecutura ſunt, ibi
ſtabis munitus & fixus. Quomodo
autem fugies ad turrim? Ne forte
quiſque in tentatione poſitus cor-
poraliter quærat turrim iſtam: &

cum eam non invenerit, fatigetur ac deficiat in tentatione. Ante te est turris: recordare Christum, & intra in turrim. Quomodo recordaris Christum, ut intres in turrim? Quicquid pateris cogita, quia prior passus est, & cogita quo fine passus est, ut moreretur & resurgeret. Talem & tu finem spera qualis in illo præcessit, & intrasti in turrim non consentiendo inimico: si enim consenseris inimico, tunc ad te pervenit oppugnantis jaculum inimici. Tu potius in illum iaculare tela quibus feriatur, quibus vincatur. Quæ sunt ista tela? Verba Dei, fides tua, spes ipsa, tua bona opera. Non dico: Sic esto in ista turri, ut vaces ibi, & sufficiat tibi ad te hostis tela quod non perveniant: age ibi aliquid, non cessent manus. Opera bona tua gladii sunt interficientes inimicum.

Inquilini hîc sumus, habitatores in cælo erimus.

In Ps. 61 Omnes qui terrena sapiunt, om-

es qui felicitatem terrenam Deo præferunt, omnes qui ſua quærunt, non quæ Jeſu Chriſti, ad unam illam civitatem pertinent quæ dicitur Babylonia myſtice,& habet regem Diabolum. Omnes autem qui eà quæ ſurſum ſunt ſapiunt, qui cæleſtia meditantur, qui cum ſollicitudine in ſeculo viuunt ne Deum offendant, qui cavent peccare, quos peccantes non pudet confiteri, humiles, mites, ſancti, iuſti, pij, boni omnes ad unam civitatem pertinent quæ regem habet Chriſtum: illa enim in terra quaſi major eſt tempore, non ſublimitate, non honore. Civitas illa prior nata, civitas iſta poſterior nata: illa enim incipit à Caïn, hæc ab Abel. Ideo civitas illa major ætate, quia prior natus eſt Caïn, & poſtea Abel: ſed in his *major ſerviet minori*. Illa major ætate, iſta major dignitate. Quare illa major ætate? *Quia non prius quod ſpirituale eſt, ſed quod animale.* Quare iſta major dignitate? Quia

enarratio. *Gen.25.* *1.Cor.15*

major serviet minori. Caïn prior ædificavit civitatem, & ibi ædificavit ubi nulla erat civitas: ut vero ædificaretur Hierusalem, non ibi ædificata est ubi non erat civitas, sed erat civitas primo quæ appellabatur Hiebus, unde Hiebusæi. Ea capta, devicta, subjecta, ædificata est nova civitas, tanquam destructa vetere: & appellata Hierusalem visio pacis, civitas Dei. Mala ergo civitas ab initio usque in finem currit, & bona civitas mutatione malorum conditur. Et sunt istæ duæ civitates permixtæ interim, in finem separandæ, adversus se invicem confligentes: una pro iniquitate, altera pro justitia: una pro vanitate, altera pro veritate. Et aliquando ipsa commixtio temporalis facit ut quidam pertinentes ad civitatem Babyloniam administrent res pertinentes ad Hierusalem. Et rursum quidam pertinentes ad Hierusalem administrent res pertinentes ad Babyloniam.

In fornace ardet palea, & pur-
atur aurum: illa in cineres verti-
ur, à ſordibus illud exuitur: for-
ax mundus, palea iniqui, aurum
ſti, ignis tribulatio, aurifex Deus.

Occultari poteſt ad tempus ve-
tas, vinci non poteſt.

Diabolo poteſtas quædam eſt;
lerumque tamen vult nocere, &
on poteſt, quia poteſtas iſta ſub
oteſtate eſt: nam ſi tantum poſſet
ocere Diabolus quantum vult;
on aliquis juſtorum remaneret,
it aliquis fidelium eſſet in terra.

Ad menſuram permittitur tenta-
Diabolus.

Facere poteſt aliquid Deus ut
neſcias quare faciat, inique ta-
en facere non poteſt, apud quem
on eſt iniquitas.

Noli timere inimicum: tantum
icit quantum acceperit poteſta-
em. Eum time qui habet ſummam
oteſtatem: eum time qui quan-
m vult, tantum facit, & qui in-
ſte nihil facit, & quicquid fece-
t, juſtum eſt.

Putamus injustum esse nescio quid, & ex hoc quia fecit Deus, crede justum esse.

Consilium tibi dicere, ô homo, non possum: illud tamen dico, quia & inique fecit homo qui occidit innocentem, & non fieret, nisi permitteret Deus: & quamvis ille inique fecerit, non tamen hoc inique permisit Deus.

Discutit Deus quod quisque voluerit, non quid potuerit.

Hoc est magnum Dei, quia & bonum quod facis ipse tibi dedit, & de malo tuo ipse benefacit.

In Ps. 62. enarratio. Undique colligit qui pro omnibus dedit sanguinem suum.

Stultus est qui non vult credere pauca quæ restant, cum videat tam multa impleta esse quæ tunc non erant quando prædicabantur.

Ille unus qui natus est de Maria, & passus est, & sepultus est, & resurrexit, & ascendit in cælum, & modo ad dexteram Patris sedet, & interpellat pro nobis, caput nostrum est. Si ille caput est, nos

mbra ſumus: tota Eccleſia eius
æ ubique diffuſa eſt, corpus ip-
s eſt, cuius eſt ipſe caput. Non
um autem fideles qui modo
ıt, ſed & qui fuerunt ante nos,
qui poſt nos futuri ſunt uſque in
ıem ſeculi, omnes ad corpus eius
ertinent.

Non ad hoc ſumus Chriſtiani,
terrenam nobis felicitatem pe-
mus, quam plerumque habent
latrones & ſcelerati. Ad aliam
licitatem nos ſumus Chriſtiani,
uam tunc accipiemus, cum vita
ta huius ſeculi tota tranſierit.

Hereditatem nobis dabit ſeip-
ım Deus, ut ipſum poſſideamus,
t ab ipſo poſſideamur in æternum.

Alligatus eſt quidem Diabolus *In Pſ. 63 enarratio.*
e faciat quantum poteſt, ne faciat
uantum vult: tamen tantum ten-
are ſinitur, quantum expedit pro-
icientibus.

Non nobis expedit eſſe ſine ten-
ationibus: nec rogemus Deum, ut
non tentemur, ſed ut non induca-
mur in tentationem.

n * delata eſt, quando populus *ejecta*
ei liberatus eſt de Ægypto, &
roductus eſt in terram promiſ-
nis. Babylon autem condita eſt
intimis Perſidis regionibus, quæ
iturno tempore caput extulit ſu-
er exteras gentes. Duæ ergo iſtæ
bes certis temporibus conditæ
nt, ut manifeſtaretur figura dua-
m civitatum olim cœptarum, &
que in finem in iſto ſeculo man-
rarum, ſed in fine ſeparandarum.
nde ergo poſſumus eas modo
tendere, quæ permixtæ ſunt?
ſtendet tunc Dominus cum alios
onet ad dexteram, alios ad ſini-
ram. Hieruſalem auditura eſt:
enite, benedicti Patris mei, per- Mat. 25.
pite regnum quod vobis paratum
t ab origine mundi. Babylon au-
tura eſt: *Ite in ignem æternum,*
ui paratus eſt Diabolo & Angelis
ius. Poſſumus tamen & aliquid
fferre quantum Dominus donat,
nde diſtinguantur pij fideles,
tiam hoc tempore cives Hieruſa-
em à civibus Babyloniæ. Duas

iſtas civitates faciunt duo amores: Hieruſalem facit amor Dei, Babyloniam facit amor ſeculi. Interroget ergo ſe quiſque quid amet, & inveniet unde ſit civis: & ſi ſe invenerit civem Babyloniæ, extirpet cupiditatem, plantet charitatem. Si autem ſe invenerit civem Hieruſalem, toleret captivitatem, ſperet libertatem.

Amate juſtitiam, & vos eſtis templum Dei.

Mare in figura dicitur ſeculum hoc, falſitate amarum, procellis turbulentum, ubi homines cupiditatibus perverſis & pravis facti ſunt velut piſces invicem ſe devolantes.

In utroque tentatur anima humana, & proſperitate ne corrumpatur, & adverſitate ne frangatur.

Sic eſt promiſſio lucri, quaſi eſca in muſcipula, coarctaris, & non eſt quo exeas, caperis in muſcipula. Dediti autem tibi exitum Dominus Deus tuus, ne lucro capiaris, cum tibi dicit in corde; Ego ſum divitiæ

æ, noli attendere quod mundus
romittit, ſed quod promittit Con-
itor mundi.
Reſurrectionem Chriſtiani no- *In Pſ. 65 enarratio.*
imus in capite noſtro factam, &
membris futuram. Caput Ec-
leſiæ Chriſtus eſt, membra Chri-
i Eccleſia. Quod præceſſit in ca-
ite, ſequetur in corpore. Hæc eſt
pes noſtra. Ad hoc credimus, ad
oc duramus, & perſeveramus in
nta malignitate hujus ſeculi,
onſolante nos ſpe, antequam ſpes
at res.
Tam non poteſt homo ſervire
uobus dominis diverſa jubenti-
us, quàm nec uni diverſa jubenti.
Elegit Dominus poſtea & orato-
es; ſed illi ſuperbirent, ſi non
rius eligeret piſcatores. Elegit di-
ites, ſed dicerent merito divitia-
um ſuarum ſe electos eſſe, niſi
rimo elegiſſet pauperes. Elegit
mperatores poſtea, ſed melius eſt
t Romam cum venerit Impera-
or, depoſito diademate, ploret ad
nemoriam piſcatoris, quàm ut

piſcator ploret ad memoriam Imperatoris.

Fuſus Domini ſanguis donatus eſt homicidis; ut non dicam deicidis; quia ſi cognoviſſent, nunquam Dominum gloriæ crucifixiſſent. Modo homicidis donatus eſt fuſus ſanguis innocentis: & ipſum ſanguinem quem per inſaniam fuderunt, per gratiam biberunt.

Multi Sancti multa miracula fecerunt, nullus eorum mortuus reſurrexit.

Potentius eſt revixiſſe mortuum, quàm non fuiſſe mortuum. Magnitudo potentiæ Domini, ſecundum quod homo factus eſt, in virtute reſurrectionis apparet.

Multum eſt quod dedit (Chriſtus) magnum pretium dedit: non pro ſolis Judæis debuit valere quod dedit.

Tranſivimus per ignem & aquam. Ignis & aqua, utrumque periculoſum eſt, In hac vita certe videtur aqua ignem extinguere, & ignis videtur aquam ſiccare. Ita & ipſæ

tentationes

ntationes ſunt, quibus abundat
ec vita. Ignis urit, aqua corrum-
t: utrumque metuendum, &
tio tribulationis, & aqua corru-
ionis. Quando ſunt res anguſtæ,
uæ infelicitates dicuntur in hoc
undo; quaſi ignis eſt: quando
int res proſperæ, & abundantia
culi circumfluit, quaſi aqua eſt.
ide ne te ignis exurat, ne aqua
orrumpat. Firmus eſto adverſus
nem, coqui te oportet, tanquam
as fictum mitteris in caminum
nis, ut firmetur quod formatum
t. Vas ergo quod in igne forma-
im eſt, aquam non timet: vas
item ſi ſolidatum igne non fue-
t, tanquam lutum aqua ſolvetur.
Ioli feſtinare ad aquam, per
nem tranſi ad aquam, ut tranſeas
c aquam.

Holocauſtum dicitur ſacrificium,
um totum accenditur. Aliæ ſunt
artes ſacrificiorum, aliud holo-
auſtum. Quando totum ardet, &
otum conſumitur igne divino, ho-
ocauſtum dicitur: quando pars,

ſacrificium. Omne quidem holocauſtum ſacrificium, ſed non omne ſacrificium holocauſtum.

Totum meum conſumat ignis tuus (Domine) nihil mihi remaneat mihi, ſolum ſit tibi.

1. Cor. 3. *Dei agricultura eſtis, Dei ædificatio eſtis.* In rebus huius mundi
In Pſ. 66 viſibilibus vitis non eſt ædificium, & ædificium non eſt vinea. Nos autem vinea Domini ſumus, quia colit nos ad fructum: ædificium Dei ſumus, quia qui colit nos, habitat in nobis.

Sunt dona quæ dat Deus & inimicis ſuis, alia quæ non ſervat niſi amicis ſuis.

Quid te differt à converſione? Quod bonus times amittere, forte amiſſurus malus es. Si bonus ea perdideris, adeſt conſolator qui abſtulit.

Foris pauper es, intus dives es. Divitias tecum portas, quas non amitteres, etiamſi de naufragio nudus exires. Ne pro magno appetas, quæ & mali accipiunt.

Adhibet Medicus fomenta verborum, & aliquando secat.

Gaudeat judicandus, qui timuit judicaturum.

Pluit & ipsa pluvia tonitruus est, terret. Time tonantem, & excipe pluentem.

Qui venit humilis, veniet excelsus: qui venit judicandus, veniet judicaturus. Agnoscamus humilem, ut non expavescamus excelsum: amplectamur humilem, ut desideremus excelsum: desiderantibus enim se propitius veniet. Illi eum desiderant qui tenuerint fidem ejus, & fecerint mandata ejus: nam etsi nolumus, veniet. Velimus ergo veniat, quia veniet etsi nolumus. Quomodo velimus ut veniat? Bene vivendo, bene agendo.

Prædicare veritatem nihil est, si cor à lingua dissentiat; & audire veritatem nihil est, si non auditionem fructus sequatur.

Nos non tam delectant voces laudantium quàm devotio confi-

tentium, & facta rectorum.

In Psal. 67 enarratio. Possunt cogitationes esse mentis, quarum non sint opera corporalia. Nullum est autem opus bonum, cuius non sit in mente cogitatio.

Enarratio part. 1. Psal. 68 Majore timore minora contemnimus; & majore æternitatis cupiditate omnia temporalia fastidimus: nam & hîc deliciæ temporales dulces sunt, & tribulationes temporales amaræ sunt. Sed quis non bibat tribulationis temporalis poculum, metuens ignem gehennarum? Et quis non contemnat dulcedinem seculi, inhians dulcedini vitæ æternæ?

Quicquid est Pater quod Deus est, hoc est Filius, hoc Spiritus Sanctus. Cum autem Pater est, non illud est, quod est: Pater enim non ad se, sed ad Filium dicitur: ad se autem Deus dicitur. Itaque eo quod Deus, hoc ipso substantia est; & quia ejusdem substantiæ Filius, procul dubio & Filius Deus. At vero quod Pater est, quia non

ubstantiæ nomen est, sed refertur
ad Filium : non sic dicimus Filium
Patrem esse, quomodo dicimus Fi-
lium Deum esse. Quæris quid sit
Pater? Respondetur, Deus. Quæ-
ris quid sit Filius? Respondetur,
Deus. Quæris quid sit Pater & Fi-
lius? Respondetur, Deus. De solo
Patre interrogatus, Deum res-
ponde: de solo Filio interrogatus,
Deum responde: de utroque in-
terrogatus, non Deos, sed Deum
responde. Non sicut in hominibus
quæris, quid sit pater Abraham?
Respondetur, homo: substantia
ejus respondetur. Quæris quid sit
filius ejus Isaac? Respondetur, ho-
mo: ejusdem substantiæ Abraham
& Isaac. Quæris quid sit Abraham
& Isaac? Non respondetur homo,
sed homines. Non sic in divinis:
tanta enim ibi est substantiæ so-
cietas, ut æqualitatem admittat,
pluralitatem non admittat. Si ergo
tibi dictum fuerit: Cum dicis mihi
Filium hoc esse quod Pater est;
profecto & Filius Pater est; res-

ponde: Secundum ſubſtantiam tibi dixi hoc eſſe Filium, quod Pater eſt, non ſecundum id quod ad aliud dicitur: ad ſe enim Deus dicitur, ad Patrem Filius dicitur. Rurſuſque Pater ad ſe Deus dicitur, ad Filium Pater dicitur. Quod dicitur ad Filium, Pater non eſt Filius. Quod dicitur Filius ad Patrem, non eſt Pater. Quod dicitur ad ſe Pater, & Filius ad ſe; hoc eſt Pater & Filius, idem Deus.

Delicta nulla Chriſtus habuit, fuit delictorum ſuſceptor, ſed non commiſſor.

Concio 2. de 2. parte Pſal. 68

Eſt quædam liberatio Sanctorum occulta: & propter ipſos fit quod Deus ſanctos ſuos, quoſdam occulte, quoſdam vero liberat publice. Occulte, ſicut Machabæos: publice, ſicut tres pueros de camino ignis educens. Eſt quædam publica & manifeſta: & propter inimicos eorum fit ſive puniendos, ſive liberandos: nam utique Deus de ignibus perſecutoris non liberavit fratres Machabæos, quibus

Mach. 7.

ntiochus sæviens etiam matrem
lhibuit, cujus blanditiis ad amo-
m vitæ converterentur, & aman-
 viverent hominibus, Deo mo-
rentur. At illa mater, jam non
væ, sed matri Ecclesiæ similis,
uos cum dolore pepererat, ut vi-
os agnosceret, cum gladio vidit
orientes, & ad hoc hortata est
eligerent potius mori pro pa-
rnis legibus Domini Dei sui,
ım vivere contra eas. Quid hîc
edituri sumus fratres, nisi quia
erati sunt? Sed occulta fuit eo-
m liberatio. Denique ipse An-
ochus à quo occisi sunt, visus est
i aliquid fecisse, quod ejus cru-
elitas dictabat, vel potius incita-
ıt. At vero tres pueri de camino
nis aperte liberati sunt: quia &
rpus eorum erutum est, salus eo-
ım publica fuit. Illi ergo sunt in
cculto coronati, isti in aperto co-
onati: isti in aperto liberati: om-
es tamen salvati. Quis autem fru-
tus liberationis trium puerorum?
uare eorum corona dilata est?

Ipſe Nabuchodonoſor converſus eſt ad Deum ipſorum, eumque prædicavit, quia eruit ſervos ſuos: quem contempſerat, cum eos miſerat in caminum. Eſt ergo liberatio occulta, eſt liberatio manifeſta. Liberatio occulta ad animam, liberatio manifeſta etiam ad corpus pertinet; in occulto enim anima liberatur, in manifeſto corpus.

In Pſ. 69 præfatio Diabolus biformis eſt. Leo eſt in impetu, Draco in inſidiis. Leo minetur, inimicus eſt: Draco inſidietur, inimicus eſt. Quando nos ſecuri? Ecce fiant omnes Chriſtiani? Nunquid & Diabolus Chriſtianus erit? Tentare ergo non ceſſat, inſidiari non ceſſat.

Concio 1. de 1. parte Pſal 70. In ea re ſola filius non debet obedire patri ſuo, ſi aliquid pater ipſius juſſerit contra Dominum Deum ipſius. Neque debet iraſci pater, quando ei ſic præponitur Deus.

Ubi hoc jubet pater quod contra Dominum non ſit, ſic audiendus eſt quomodo Deus, quia obedire

ire patri jussit Deus.

Non est quo fugiatur ab illo, isi ad illum. Si vis evadere iraum, fuge ad placatum.

Nihil boni faceres, nisi ille bous esset; & nihil mali patereris, isi ille justus esset.

Quicquid tribulationis tibi accierit, quicquid insultationis, non ommittatur anima tua, non comittatur non solum contra Deum, ed nec contra eos ipsos qui tibi ta faciunt; si enim vel ipsos odio abueris, & contra ipsos commissa t anima tua, prorsus illi gratias ge, pro istis ora.

Quantumlibet firmus sis ex graa Dei, quamdiu adhuc portas terenum vas, in quo thesaurus est ei, aliquid etiam de ipso vase ctili formidandum est.

Venit hoc de pœna peccati, ut omo adversus seipsum dividereir, qui uni subditus esse noluit. *Concio 2. de 2. parte Psal. 60*

Nihil tam expedit animæ quàm bedire: & si expedit animæ obeire, in servo ut obediat domino,

in filio ut obediat patri, in uxorē ut obediat viro: quanto magis in homine, ut obediat Deo?

Expertus malum, poſtea ſaltem obtemperet præceptis Medici ut ſurgat, qui noluit credere Medico ut non ægrotaret: nam & ſanis bonus & fidelis Medicus dat præceptum, ne ſit illis neceſſarius.

Boni amici Medici, qui nolunt vendere artem ſuam, & plus gaudent ad ſanos quàm ad ægrotos, dant quædam præcepta ſanis, quæ obſervando in ægritudinem non cadant. Porro autem illi ſi præcepta contempſerint, & in ægritudinem inciderint, ſupplicant Medico; quem contempſerunt ſani, rogant ægroti.

Qui ſuſcitat mortuum ſecundum corpus, reddit eum luci huic videndæ, & huic aëri ducendo: non autem ſuſcitator ejus ipſe illi lux & aër eſt. Incipit videre, quemadmodum videbat antea. Anima non ſic exſuſcitatur; anima enim exſuſcitatur à Deo, quanquam &

orpus exſuſcitetur à Deo. Sed
eus quando exſuſcitat corpus,
undo reddit: quando exſuſcitat
nimam, ſibi reddit. Si recedat aër
undi iſtius, moritur corpus; ſi
cedat Deus, moritur anima. Cum
rgo animam ſuſcitat Deus, niſi
dſit qui ſuſcitavit, ſuſcitata non
ivit: non enim ſuſcitat & dimittit,
t vivat ſibi, ſicut Lazarus quando
ſuſcitatus eſt quatriduanus mor-
uus, ſuſcitatus eſt corpore per Do-
ini corporalem præſentiam. Ac-
eſſit enim corpore ad ſepulcrum,
amavit: *Lazare, veni foras*: &
rrexit Lazarus, proceſſit de ſe-
ulcro ligatus, deinde ſolutus diſ-
eſſit. Reſuſcitatus eſt Domino
æſente, ſed vixit & Domino ab-
nte, quanquam eum Dominus
orporaliter reſuſcitaſſet, quantum
d viſibilia pertinet: cæterum præ-
ntia Majeſtatis ſuæ illum ſuſci-
ivit, qua præſentia nunquam re-
edit. Interim tamen ad præſen-
am viſibilem Dominus ſuſcitavit
azarum. Diſceſſit de ipſa civitate

Dominus, vel de illo loco. Numquid Lazarus non vixit? Non sic anima suscitatur. Suscitat illam Deus, moritur si discesserit Dominus; dicam enim audacter, fratres, sed tamen verum. Duæ vitæ sunt, una corporis, altera animæ. Sicut vita corporis anima, sic vita animæ Deus. Quomodo si anima deserat, moritur corpus; sic anima moritur, si deserat Deus: ipsa est enim gratia ejus, ut resuscitet & sit nobiscum.

Deus nullo indiget bono, & ipse est summum bonum, & ab ipso est omne bonum.

Ut boni simus, Deo indigemus; ut bonus sit Deus, nobis non indiget.

Novit Deus quod creat, & quale sit per ejus bonitatem: & quale futurum sit per propriam voluntatem.

Suscepit à te (Deus) in quo moreretur pro te. Suscepit à te quod offerret pro te, quo exemplo doceret te; Quid doceret te? Quia

ſurrecturus es: unde enim cre-
ıres, niſi exemplum carnis præ-
deret aſſumptæ de maſſa mortis
æ? Ergo in illo primo reſurrexi-
ıus, quia & Chriſtus cum reſur-
xit, nos reſurreximus: non enim
erbum mortuum eſt, & reſurre-
t; ſed in Verbo caro mortua eſt,
reſurrexit. Ibi mortuus eſt Chri-
ıs, ubi es tu moriturus. Exemplo
o docuit quid non timeres, quid
erares. Timebas mortem, mor-
ıs eſt: deſperabas de reſurre-
ione, reſurrexit. Sed dicis mihi:
e reſurrexit, nunquid ego? Sed
urrexit in eo quod pro te acce-
ex te. Ergo natura tua in illo
æceſſit te; & quod ſumptum eſt
te, aſcendit ante te. Ibi ergo &
aſcendiſti. Aſcendit ille prior,
in illo nos; quia caro illa de ge-
ere humano.

Sunt quidam qui facilius omnia *In Pſ. 71*
a pauperibus diſtribuunt, quàm *enarra-*
ſi pauperes Dei fiant. *tio.*

*Benedictus Dominus Deus Iſ-
ël, qui facit mirabilia ſolus.* Ipſe

facit mirabilia ſolus, quoniam quicumque faciunt, ipſe in eis operatur qui facit mirabilia ſolus.

In Pſ. 72 enarratio. Hymni cantus ſunt continentes laudes Dei. Si ſit laus, & non ſit Dei, non eſt hymnus: ſi ſit & laus, & Dei laus, & non cantetur, non eſt hymnus. Oportet ergo ut ſi ſit hymnus, habeat hæc tria, & laudem, & Dei, & canticum.

Populus Iſraël ſub Pharaonis & Ægyptiorum dominatione, populus Chriſtianus ante fidem prædeſtinatus à Deo, & adhuc ſerviens Dæmonibus & Diabolo principi eorum. Ecce populus ſubjugatus Ægyptiis, ſerviens peccatis ejus; non enim niſi per peccata noſtra poteſt Diabolus dominari. Liberatur populus ab Ægyptiis per Moyſen: liberatur populus iſte à præterita vita peccatorum per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum. Tranſiit populus ille per mare rubrum, iſte per Baptiſmum. Moriuntur in mari rubro omnes inimici populi illius; moriuntur in

ptiſmo omnia peccata noſtra.
oſt mare illud rubrum non conti-
.o patria datur, nec tanquam
m hoſtes deſint, ſecure trium-
natur; ſed reſtat eremi ſolitudo,
ſtant hoſtes inſidiantes in via.
c & poſt Baptiſmum reſtat vita
hriſtiana in tentationibus. In illa
emo ſuſpirabatur patria pro-
iſſa. Quid aliud Chriſtiani ſuſpi-
nt jam abluti in Baptiſmo?
unquid jam regnant cum Chri-
o? Nondum ventum eſt ad terram
omiſſionis noſtræ, ſed non defe-
uram; non enim ibi deficient
ymni David. Hoc modo audiant
mnes fideles, ſciant ubi ſint. In
emo ſunt, patriæ ſuſpirant. Mor-
ni ſunt hoſtes in Baptiſmo, ſed
nſequentes à tergo. Quid eſt inſe-
uentes à tergo? Ante faciem fu-
ura habemus, à tergo præterita.
Omnia præterita peccata deleta
unt in Baptiſmo: quibus modo
entamur, non à tergo inſequun-
ur, ſed in via inſidiantur. Et ibi
am, fratres, in eremo quicquid

passus est populus ille, & quicquid eis Deus largitus est, quæcumque illa flagella fuerunt, quæcumque dona, significationes sunt rerum, quas in hac solitudine hujus vitæ ambulantes in Christo, quærentes patriam, & accipimus ad consolationem, & patimur ad probationem.

Præ omnibus quæ dat Deus & bonis & malis, præ omnibus servat aliquid bonis. Quid est, servat aliquid bonis? Quid illis servat? SEIPSUM.

Psal. 17. *Cum sancto sanctus eris, & cum viro innocente innocens eris; & cum perverso perversus eris.* Quid est, perversus eris cum perverso? Perversum te putabit perversus, non quod ullo modo pervertatur Deus. Absit. Quod est, est. Sed quemadmodum Sol oculos puros, sanos, vegetos, fortes habenti tranquillus apparet; in oculos autem lippos quasi tela aspera jaculatur, intuentem illum vegetat, hunc excruciat, non mutatus, sed mutatum: sic

m cœperis esse perversus, & tibi
eus perversus esse videbitur, tu
utatus es, non ille. Ergo erit tibi
ena, quod bonis gaudium.
Sicut dives non venit dives, sic
c dives abscedit.
Qui aliud præmium petit à Deo;
propterea servire vult Deo, ca-
us facit quod vult accipere;
àm ipsum à quo vult accipere.
uid ergo? Nullum præmium Dei?
ullum, præter ipsum. Præmium
ei, ipse Deus est.
Discussa præcepta, aut omnia
dem inveniuntur, aut vix aliqua
Evangelio, quæ non dicta sint à
ophetis. Præcepta eadem, Sa-
amenta non eadem, promissa non
dem. Videamus quare præcepta
dem, quia secundum hæc Deo
rvire debemus. Sacramenta non
dem, quia alia sunt Sacramenta
ntia salutem, alia promittentia
lvatorem: Sacramenta novi Te-
amenti dant salutem, Sacramenta
eteris Testamenti promiserunt
alvatorem. Cum ergo jam teneas

promiſſa, quid quæris promittentia? Salvatorem habens, jam in hoc teneas promiſſa, non quod jam acceperimus vitam æternam, ſed quia jam venerit Chriſtus, qui per Prophetas prænunciabatur. Mutata ſunt Sacramenta, facta ſunt faciliora, pauciora, ſalubriora, feliciora. Promiſſa quare non eadem? Quia promiſſa eſt terra Chanaan, terra copioſa, fructuoſa, affluens lacte & melle, promiſſum regnum temporale, promiſſa felicitas ſeculi, promiſſa fœcunditas filiorum, promiſſa ſubjectio inimicorum. Hæc omnia ad terrenam felicitatem pertinent: ſed quare ipſa primo promitti oportebat?
1. Cor. 15 Quia *non primo quod ſpiritale eſt, ſed quod animale.*

Recolite, fratres mei, quid dictum ſit à perſequentibus Chri-
Ioan. 11. ſtum: *Si dimiſerimus eum ſic, venient Romani, & tollent nobis & locum & gentem.* Videte quia timendo terrena perdere, Regem cæli occiderunt. Et quid eis factum

ſt? Perdiderunt etiam ipſa terre-
a: & ubi occiderunt Chriſtum,
bi occiſi ſunt: & cum terram no-
entes perdere, datorem vitæ occi-
erunt, eandem terram occiſi per-
iderunt. Et eo ipſo tempore quo
lum occiderunt, eo ipſo tempore
dmonentur quare iſta perpeſſi
int; quando enim everſa eſt civi-
as Judæorum, Paſcha celebra-
ant, & in multis millibus homi-
um tota ipſa gens convenerat ad
lius feſtivitatis celebrationem.
bi Deus per malos quidem, ſed
amen ille bonus; per injuſtos, ſed
uſtus, & juſte ita in eos vindica-
it, ut perimerentur multa millia
ominum, & ipſa civitas everte-
etur.

Quid eſt intuendo ſerpentem, *Num.* 21
anari à ſerpente? Credendo in
nortuum, ſanari à morte.

Aliquandò iratus homo appre-
iendit virgam jacentem in medio;
ortaſſe qualecumque ſarmentum,
ædit inde filium ſuum, ac deinde
projicit ſarmentum in ignem, &

filio servat hereditatem. Sic aliquando Deus per malos erudit bonos, & per temporalem potentiam damnandorum exercet disciplinam liberandorum.

Alia est palea, aliud frumentum; super utrumque tamen intrat tribula: sed sub una tribula aliud comminuitur, aliud purgatur.

Domus nostræ corda nostra: ibi libenter habitant beati mundo corde.

Qui sunt pauperes spiritu? Humiles, trementes verba Dei, confitentes peccata sua, non de suis meritis, nec de sua justitia præsumentes.

In Ps. 74 enarratio. Quia omni homini converso ad Deum mutatur delectatio, mutantur deliciæ: non enim subtrahuntur, sed mutantur.

Quando acceperint humiles quod irrident superbi, tunc superborum typhus convertetur in luctum.

Psal. 33. Scriptum est: *Prope est Dominus his qui obtriverunt cor.* Qui se conterit, irascitur sibi. Se habeat ira-

n, ut illum habeat propitium:
habeat judicem, ut illum habeat
fensorem.
Avertat (Deus) faciem suam à
ccatis tuis, non avertat à te.
vertat faciem ab eo quod tu fe-
ti, non avertat ab eo quod ipse
cit: te enim hominem ipse fecit,
ccata tua ipse fecisti.
Time confiteri judici homini, ne
te confessum puniat: Deo noli.
c confitendo propitium, quem
gando non facis nescium.
Modo misericordia, postea ju-
ium.
Noli cogitare Deum in locis: ille
um est talis, qualis fueris. Quid
talis, qualis fueris? Bonus, si
nus fueris; & malus tibi videbi-
r, si malus fueris: sed opitulator,
bonus fueris: ultor, si malus
eris. Ibi habes Judicem in se-
eto tuo: volens facere aliquid
ali, de publico recipis te in do-
um tuam, ubi nemo inimicorum
deat: de locis domus tuæ prom-
is & in faciem constitutis, re-

moves te in cubiculum. Times & in cubiculo aliunde conſcium, ſecedis in cor tuum, ibi meditaris, ille in corde tuo interior eſt. Quocumque ergo fugeris, ibi eſt: teipſum quo fugies? Nonne quocumque te fugeris, te ſequeris? Quando autem & teipſo interior eſt, non eſt quo fugias à Deo irato, niſi ad Deum placatum. Prorſus non eſt quo fugias. Vis fugere ab ipſo? Fuge ad ipſum.

Oderis in terra ſublimitatem terrenam, ut poſſis habere cœleſtem.

Modo eſt tibi tempus eligendi, tunc non erit.

Præfat. in Pſ. 75 In te ex teipſo eſt flagellum tuum. Sic vindicatur in rebellem adverſus Deum, ut ipſe ſibi ſit bellum, qui pacem noluit habere cum Deo.

Tene membra tua adverſus concupiſcentias tuas malas: ſurrexit ira, tene tu manum coniunctus Deo. Potuit ſurgere, ſed non invenit arma. Apud iram tuam impetus eſt, apud te arma ſunt. Sit

mpetus inermis, & discit iam non
irgere, qui frustra surrexit.
*Dormierunt somnum suum viri
livitiarum; & nihil invenerunt in
ianibus suis.* Dormierunt enim in
upiditatibus suis, delectat illos,
ransit somnus iste, transit vita ista,
& nihil invenerunt in manibus
uis, quia nihil posuerunt in manu
Christi. Vis aliquid invenire in
nanibus tuis postea? Noli con-
emnere modo manum pauperis,
& respice manus inanes, si vis ha-
ere manus plenas.

Esurire in pauperibus voluit qui
lives in cœlo est; & tu dubitas,
iomo, dare homini, cum scias te
Christo dare quod das, à quo ac-
episti quicquid das?

Quisquis liberatus est à peccato,
neminerit quid fuit, sint in illo
eliquiæ cogitationis: tunc enim
portat alium ad sanandum, si se
meminerit esse sanatum. Ergo
unusquisque recordetur quid fuit;
& utrum iam non sit: & tunc sub-
veniet ei qui adhuc est quod ille
am non est.

In Ps. 76 enarratio. Multi clamant ad Dominum pro divitiis acquirendis, damnisque devitandis, pro suorum salute, pro stabilitate domus suæ, pro felicitate temporali, pro dignitate seculari, postremo etiam pro ipsa salute corporis, quæ patrimonium est pauperis. Pro his atque huiusmodi rebus multi clamant ad Dominum, vix quisquam propter ipsum Dominum. Facile quippe homini est quodlibet desiderare à Domino, & ipsum Dominum non desiderare, quasi vero suavius esse possit quod dat, quàm ipse qui dat.

In die tribulationis meæ Deum exquisivi. Quis es qui hoc facis? In die tribulationis tuæ vide quid exquiras. Si carcer facit tribulationem, exire de carcere exquiris: si febris facit tribulationem, sanitatem exquiris: si fames facit tribulationem, saturitatem exquiris: si damna faciunt tribulationem, lucrum exquiris: si peregrinatio facit tribulationem, civitatem tuæ carnis exquiris. Et quid cuncta comme-

ommemorem, aut quando cuncta
ommemorem? Vis esse transi-
ens? In die tribulationis tuæ
eum exquire, non per Deum
iud, sed ex tribulatione Deum;
t ad hoc Deus removeat tribula-
onem, ut securus inhæreas Deo.

*In die tribulationis meæ Deum
xquisivi:* non aliud aliquid, sed
eum exquisivi. In die tribulatio-
is tuæ quid exquisisti? Deum.
uomodo exquisisti? *manibus
eis.* Quando exquisisti? *nocte.*
bi exquisisti? *coram eo.* Et quo
uctu exquisisti? *& non sum dece-
us.* Quid est, *manibus meis?* Ope-
bus meis. Quid est, *nocte?* In hoc
culo. Quid est, *coram ipso? Ne-* Matt. 6.
*te facere justitiam vestram coram
ominibus, ut videamini ab eis:
lioquin non habebitis mercedem
pud Patrem vestrum.* Quid est,
non sum deceptus? Inveni quod
uærebam.

Quis vivit sine affectionibus: &
utatis, fratres, quia qui Deum
ment, Deum colunt, Deum dili-

gunt, nullas habent affectiones? Vere hoc putatis, & putare audetis, quod affectiones habeat tabula, theatrum, venatio, aucupium, piſcatus, & non habeant opera Dei, & non habeant meditationes Dei interiores affectiones quaſdam ſuas, cum inſpicitur mundus, & ponitur antè oculos ſpectaculum naturæ rerum, & in his quæritur artifex, & invenitur nuſquam diſplicens, & ſuper omnia placens?

In Pſ. 77 enarratio. Quando cum ſpiritu Dei operante ſpiritus hominis cooperatur, tunc quod Deus juſſit impletur.

Credere in Deum utique plus eſt quàm credere Deo; nam & homini cuilibet plerumque credendum eſt, quamvis in eum non ſit credendum. Hoc eſt ergo credere in Deum, credendo adhærere ad bene operandum bona operanti Deo.

Recto corde recta ſunt opera.

Quantum attinet ad facta quæ forinſecus aguntur, & qui timent pœnam, & qui amant juſtitiam,

n furantur: & ideo pares sunt
nu, dispares corde:pares opere,
pares voluntate.
i malum pro malo non est red- *In Psal. 78 enarratio.*
ndum, non solum factum malum
facto malo, sed nec votum
lum reddendum est pro facto
voto malo. Reddit autem ma-
n votum, qui etiamsi non seip-
n vindicat, tamen ut ejus ini-
cum Deus puniat, expectat at-
e optat.
Omnia peccata duæ res faciunt *In Psal. 79 enarratio.*
homine, cupiditas & timor. Co-
tate, discutite, interrogate corda
stra, perscrutamini conscientias,
dete utrum possint esse peccata,
si aut cupiendo aut timendo.
oponitur præmium, ut pecces,
est, quod te delectat. Facis pro-
er quod cupis: sed forte non in-
iceris donis, terreris minis, facis
ropter quod times.
Quicumque te vult occidere,
sque ad corpus ei licet, usque ad
nimam non licet: anima tua non
orietur, nisi tu eam volueris occi-
ere.

Ad omne recte vel male factum, amor & timor ducit. Ut facias bene, amas Deum, & times Deum: ut autem facias male, amas mundum & times mundum. Hæc duo convertuntur ad bonum. Amabas terram, ama vitam æternam: timebas mortem, time gehennam. Quicquid tibi iniquo promiserit mundus, nunquid potest dare quantum dabit justo Deus? Quicquid tibi justo minatus fuerit mundus, nunquid potest facere quod facit iniquo Deus?

Bonum est quod vis, sed tolera quod non vis, ut assequaris quod vis.

Quid amas, ut Deum non ames? Dic mihi. Ama, si potes, aliquid quod ille non fecit. Circumspice universam creaturam, vide utrum alicubi cupiditatis vitio tenearis, & à diligendo Creatorem impediaris, nisi ea re quam creavit ipse quem negligis. Quare autem amas ista, nisi quia pulchra sunt? Possunt esse tam pulchra quàm ille à

uo facta sunt? Miraris hæc, quia
lum non vides: sed per ea quæ
niraris, ama quem non vides. In-
erroga creaturam: si à seipsa est,
emane in illa. Si autem ab illo est,
on ob aliud perniciosa est ama-
ori, nisi quia præponitur Crea-
ori.

In torcularibus animadvertimus uædam tria, pressuram, & de ressura quædam duo, unum re- ondendum, alterum projicien- um. *In Ps. 80 enarratio.*

Oliva in arbore quibusdam qui- em tempestatibus agitatur, non amen pressuris torcularis atteri- ır: ideo utrumque simul pendet x arbore, & quod projiciendum ſt, & quod recondendum est. At bi ad torcular & pressuras ven- ım fuerit, utrumque discernitur; irimitur; & aliud appetitur, aliud espuitur. Nemo sibi ergo blan- iatur, quia quasi ad torcular per- inet: bonum est illi, si ad oleum in orculari pertineat.

Fratres, nimis timidus esse volo;

melius est enim non vobis dare securitatem malam. Non dabo quod non accipio, timens terreo. Securos vos facerem, si securus fierem ego. Ignem æternum timeo.

Contendit Christianus pro rebus terrenis amplius quàm decet eum cui promissum est regnum cœlorum.

In Ps. 83 enarratio. Uva certe pendet in vitibus, & oliva in arboribus; his enim duobus fructibus solent torcularia præparari. Et quamdiu pendent in frutetis suis, tanquam libero aëre perfruuntur, & nec uva vinum est, nec oliva oleum ante pressuram. Sic sunt & homines quos prædestinavit Deus ante secula conformes fieri imaginis unigeniti Filij sui, qui præcipue in passione magnus botrus expressus est.

Ad capiendum Deum exercere, quod semper habiturus es, diu desidera.

Nulla infelicitas frangit, quem felicitas nulla corrumpit.

Caput omnium nostrûm Chri-

s est, corpus illius capitis omnes
s sumus.

Oratis, & differimini: tolerate
od differimini. Toleretur quod
fertur; quia cum venerit, non
fertur.

Domui Dei murus ipse Deus est.
Beati) possident Hierusalem
lestem sine angustia, sine pres-
a, sine diversitate, & divisione
nitum: omnes habent eam, &
guli habent totam.

Omnium actionum humanarum
ater necessitas.

Debitorem Dominus ipse fecit
non accipiendo, sed promit-
ndo.

Ostende nobis Domine misericor- In P/ 84
iam tuam. Ipse est qui superbire enarra-
n potest, cui Deus ostendit mi- tio.
ricordiam suam: ostendendo
im illi misericordiam suam, per-
adet illi quia quicquid boni ha-
et ipse homo, non habet nisi ab
o, quia omne bonum nostrum
se est. Et cum viderit homo quic-
uid boni habet non se habere à

ſe, ſed à Deo ſuo videt: quia totum quod in illo laudatur, de miſericordia Dei eſt, non de meritis ipſius. Et videndo iſta non ſuperbit, non ſuperbiendo non extollitur, non ſe extollendo non cadit; non cadendo ſtat, ſtando inhæret, inhærendo manet, manendo perfruitur, & lætatur in Domino Deo ſuo. Erunt illi deliciæ ipſe qui fecit illum, & delicias ipſas nemo corrumpit, nemo interpellat, nemo aufert.

Quis vicinus malus, quis latro, quis inſidiator tibi tollit Deum? Etſi poteſt tibi tollere totum quod poſſides corpore, non tibi tollit eum quem poſſides corde.

Oſtende nobis Domine miſericordiam tuam, & ſalutare tuum da nobis. Chriſtum tuum da nobis; in illo enim eſt miſericordia tua.

Iuſtitia & pax oſculatæ ſunt ſe. Fac juſtitiam, & habebis pacem, ut oſculentur ſe juſtitia & pax: ſi enim non amaveris iuſtitiam, pacem non habebis. Amantem enim

ſe

e duo ista, justitia & pax, oscu-
antur se, ut qui fecerit justitiam,
nveniat pacem osculantem justi-
iam. Duæ amicæ sunt, tu forte
nam vis, & alteram non facis:
emo enim est qui non vult pa-
em., sed non omnes volunt ope-
ari justitiam. Interroga omnes
omines: Vultis pacem? Uno ore
bi respondet totum genus huma-
um: Opto, cupio, volo, amo.
ma & justitiam, quia duæ amicæ
int justitia & pax. Justitia & pax
sæ se osculantur: si amicam pa-
is non amaveris, non te amabit
sa pax, nec veniet ad te: quid
nim magnum est desiderare pa-
em? Quivis malus desiderat pa-
em: bona enim res est pax; sed
c justitiam, quia justitia & pax se
sculantur, non litigant. Tu quare
tigas cum justitia? Ecce justitia
icit tibi: Ne fureris, & non audis.
Ne adulteres, & non vis audire.
Non facias alteri quod pati non
is, non dicas alteri quod & tibi
ici non vis. Inimicus es amicæ

meæ. Dixit tibi pax, quid me quæris? Amica ſum juſtitiæ, quemcumque invenero inimicum amicæ meæ, non ad illum accedo. Vis ergo venire ad pacem, fac juſtitiam. Ideo alius Pſalmus dicit tibi:
Pſal. 36 *Declina à malo, & fac bonum:* hoc eſt, ama juſtitiam; & cum jam declinaveris à malo, & feceris bonum, quære pacem, & perſequere eam: iam enim non diu illam quæres, quia & ipſa occurret, ut oſculetur juſtitiam.

Juſtus debes eſſe in te, ut punias te: ipſa prima eſt hominis iuſtitia, ut punias te malum, & faciat te Deus bonum.

In Pſ 85 enarratio. Nullum maius donum præſtare Deus poſſet hominibus quàm ut Verbum ſuum per quod condidit omnia, faceret illis caput, & illos ei tanquam membra coaptaret: ut eſſet filius Dei, & filius hominis, & unus Deus cum Patre, unus homo cum hominibus: ut & quando loquimur ad Deum deprecantes, non inde filium ſeparemus; &

uando precatur corpus Filii, non
se separet caput suum, sitque
ius ipse Salvator corporis sui
ominus noster Jesus Christus
lius Dei, qui & oret pro nobis,
oret in nobis, & oretur à nobis.
rat pro nobis, ut Sacerdos no-
er: orat in nobis, ut Caput no-
um: oratur à nobis, ut Deus
ster.

Habere te agnosce, & ex te ni-
habere: ut nec superbus sis,
c ingratus.

bi non putrescit cor, si levetur
Deum. Frumentum si haberes
inferioribus, ne putresceret le-
res ad superiora: frumento tuo
æris mutare locum, & cor per-
ttis in terra putrescere? Frumen-
n levares in superiora, cor leva
cælum.

Stans in terra, in cælo es, si di-
as Deum.

Quocumque cor se converterit
terrenis rebus, amaritudinem
venit: unde dulcescat non habet,
i levet se ad Deum.

Nihil eſt ſtultius, quàm ſi ſeipſum quiſque palpet atque ſeducat.

Quis eſt homo, cum quo ſi amicus eius cœperit colloqui, & noluerit ille reſpondere collocutioni eius, & viderit eum averti à ſe, & aliud loqui ad alium, qui hoc ferat? Aut ſi forte interpelles iudicem, & conſtituas eum loco ut te audiat, & ſubito cum ad eum loqueris, dimittas eum, & incipias fabulari cum amico tuo, quando te tolerat? Et tolerat Deus tot corda precantium, & diverſas res cogitantium: omitto dicere & noxias, omitto dicere aliquando perverſas & inimicas Deo, ipſas ſuperfluas cogitare iniuria eſt eius cum quo loqui cœperas.

Oratio tua locutio eſt ad Deum. Quando legis, Deus tibi loquitur: quando oras, cum Deo loqueris.

Si Deum propterea invocas ut veniat ad te pecunia, ut veniat ad te hæreditas, ut veniat ad te ſecularis dignitas, illa invocas quæ vis ut veniant ad te: ſed Deum tibi

jutorem ponis cupiditatum, non
auditorem desideriorum. Deus
onus si det quod vis: quid, si ma-
vis? Nonne erit tibi magis non
ndo misericors? Porro si non
derit, iam tibi nihil Deus est.
Non times ne aliquando à te
reat, qui facit ne tu pereas.
Invoca Deum tanquam Deum,
na Deum tanquam Deum. Illo
elius nihil est, ipsum desidera,
sum concupisce. Si tu invocas
eum tanquam Deum, securus
o: exaudiris, pertines ad istum
rsum: *& multum misericors om-
bus invocantibus te.* Noli ergo
cere: Illud mihi non dedit. Redi
cor tuum, & conscientiam tuam
era, interroga, parcere illi noli.
vere Deum invocasti, certus
to quia id forte quod volebas
mporaliter, ideo non dedit, quia
on tibi proderat.
Æger multa petit à Medico, non
t Medicus: non exaudit ad vo-
ntatem, ut exaudiat ad sanita-
m.

Vis ut det ſe tibi (Deus)? Quid ſi quod vis habere, non vult ipſe ut habeas, ut ſe tibi det? Impedimenta removet, ut intret ad te.

Bona cogitate & conſiderate, fratres, quæ dat Deus peccatoribus, & hinc intelligite quid ſervet ſervis ſuis.

Cum patientia ſalutem expecta. Quibus te medicamentis curet, ille novit: quibus ſectionibus, quibus uſtionibus, ille novit. Tu tibi ægritudinem comparaſti peccando, ille venit non ſolum fovere, ſed & ſecare, & urere. Non vides quanta homines patiantur ſub Medicorum manibus, ſpem incertam homini promittentium? Sanaberis, dicit Medicus, ſanaberis, ſi ſecuero. Et homo dicit, & homini dicit. Nec qui dicit certus eſt, nec qui audit: quia ille dicit homini, qui non fecit hominem, & non perfecte ſcit quid agatur in homine. Et tamen ad verba hominis prorſus neſcientis quid agatur in homine credit homo, ſubdit mem-

ora, ligari se patitur, aut plerumque etiam non ligatus secatur & uritur, & accipit forte salutem paucorum dierum, iam sanatus quando moriatur ignorans, & forsasse dum curatur moritur, & forsasse curari non poterit. Cui autem promisit Deus aliquid, & fefellit?

Quodlibet hîc abundet, nondum sumus in illa patria, quo redire festinamus.

Cui peregrinatio dulcis est, non amat patriam: si dulcis est patria, amara est peregrinatio.

Si Medicus videat tibi imminentem ægritudinem forte ex aliquo labore, & dicat: Parce tibi, sic te tracta, requiesce, his cibis utere: nam si non feceris, ægrotabis: tu autem si feceris, & salvus fueris, recte dicis Medico: Liberasti me ab ægritudine: non in qua iam eras, sed in qua futurus eras. Nescio quis habens causam molestam, mittendus erat in carcerem: venit alius, defendit eum. Gratias agens quid dicit? Eruisti animam meam

de carcere. Suſpendendus erat debitor, ſolutum eſt pro eo, liberatus dicitur de ſuſpendio.

(Chriſtus) in cruce pendens ait: *Pater, ignoſce illis, quia neſciunt quid faciunt*. Quem petit? Pro quibus petit? Quis petit? Ubi petit? Patrem Filius, pro impiis crucifixus, inter ipſas iniurias non verborum, ſed mortis illatæ: tanquam ad hoc extentas manus habuerit, ut ſic pro illis oraret.

In hoc iudicio confundentur perniciofe, qui modo nolunt confundi ſalubriter.

Falſa felicitas, vera miſeria eſt: qui vero ſe agnoſcit in vera eſſe miſeria, erit etiam in vera felicitate.

In Pſ. 86 *enarratio.* Divinitas, quæ ubique præſto eſt, undique ad eam poteſt duci ſimilitudo: & totum poteſt eſſe in ſimilitudinibus, quia nihil eorum eſt in proprietatibus.

In Pſ 87 *enarratio.* Oravit & Dominus, non ſecundum formam Dei, ſed ſecundum formam ſervi: ſecundum hanc enim & paſſus eſt.

Peccator filius dedignatur flagellari, cum sine peccato videat unicum flagellatum? *Concio 2. de 2. parte Psal. 88.*

Amemus Dominum nostrum, amemus Ecclesiam eius: illum sicut patrem, istam sicut matrem: illum sicut Dominum, hanc sicut ancillam ejus, quia filij ancillæ ipsius sumus. Sed matrimonium hoc magna charitate compaginatur. Nemo offendet unum, & promeretur alterum. Nemo dicat: Ad idola quidem vado, arrepticios quidem & sortilegos consulo, sed tamen Ecclesiam Dei non relinquo, Catholicus sum. Tenens matrem, offendis patrem. Alius item dicit: Absit à me, non consulo sortilegum, non quæro arrepticium, non quæro divinationes sacrilegas, nec eo ad adoranda dæmonia, non servio lapidibus: sed tamen in parte Donati sum. Quid tibi prodest non offensus pater, qui offensam vindicat matrem? Quid prodest, si Dominum confiteris, Deum honoras, ipsum prædicas, Filium ejus

agnoſcis, ſedentem ad dexteram Patris confiteris, & blaſphemas Eccleſiam ejus? Non te corrigunt exempla humani conjugij? Si haberes aliquem patronum, cui quotidie obſequereris, cujus limina ſerviendo contereres, quem quotidie non dico ſalutares, ſed & adorares, cui impenderes fidelia obſequia: ſi unum crimen de ejus conjuge diceres, nunquid domum ejus intrares?

Tentatio Chriſti, noſtra doctrina eſt.

In Pſ. 90 enarratio. Neque ad iſta opera te invitat Deus Salvator Dominus noſter Jeſus Chriſtus, quæ fecit ab initio; neque ad illa quæ fecit in terra. Non hoc dicit: Non eris diſcipulus meus, niſi ambulaveris ſuper mare, aut niſi ſuſcitaveris mortuum quatriduanum, aut niſi oculos cæci nati aperueris. Quod factus eſt propter te, hoc in eo debes attendere, ut imiteris: miracula enim & nondum natus de Maria fecit. Nec ad ipſa ergo miracula

hortatur quæ ipſe fecit, & antequam eſſet homo: Sed quid te hortatur ut imiteris? Quod non poſſet niſi factus homo: tolerare enim paſſiones nunquid poſſet, niſi homo? Mori & crucifigi & humiliari poſſet, niſi homo?

Ideo tentatus eſt Chriſtus, ne vincatur à tentatore Chriſtianus. Ille quippe Magiſter in omnibus tentari voluit, quia tentamur: ſicut mori voluit, quia morimur: ſicut reſurgere voluit, quia reſurrecturi ſumus: Illa enim quæ oſtendit in homine, qui factus eſt propter nos homo, cum eſſet Deus per quem facti ſumus, propter nos oſtendit. *Concio 2. de 2. parte Pſal. 9.*

Quando duos comites unam viam ambulant, quorum eſt unus celerior, alter tardior: in poteſtate celerioris eſt ut cum illo ambulet tardior, non in poteſtate tardioris: quia ſi velit celerior tantum facere quantum poteſt, tardior illum non ſequitur. Opus eſt ergo ut celerior refrænet celeritatem ſuam, & non relinquat comitem tardiorem.

Ipſe Rex deſcendit, & factus eſt nobis via in peregrinatione: ut in illo ambulantes nec erremus, nec deficiamus, nec in latrocinantes incidamus, nec in laqueos irruamus qui ponuntur juxta viam.

Præceſſit in capite quod membra ſperent.

S. Paulus. Qui corpus Chriſti perſequebatur, factus eſt membrum Chriſti: ut quod faciebat, ipſe ibi pateretur.

In Pſ. 91 enarratio. Modo patientia neceſſaria eſt, quamdiu veniat quod promiſſum eſt.

Medicus exerit ferrum ad ſecanda vulnera, & dicit ei quem ſecturus eſt: Patiens eſto, ſuſtine, tolera: in doloribus exigit patientiam, ſed poſt dolores promittit ſalutem. Et ipſe qui tolerat dolores in ferro Medici, niſi ſibi proponat ſanitatem quam nondum habet, deficit in dolore quem patitur.

Chriſtiani non ſimus niſi propter futurum ſeculum.

Nemo præſentia bona ſperet,

nemo ſibi promittat felicitatem mundi, quia Chriſtianus eſt: ſed utatur felicitate præſenti ut poteſt, quomodo poteſt, quando poteſt, quantum poteſt. Cum adeſt, conſolationi Dei gratias agat: cum deeſt, iuſtitiæ Dei gratias agat. Ubique ſit gratus, nuſquam ſit ingratus: & patri conſolanti & blandienti gratus ſit, & patri emendanti & flagellanti & diſciplinam danti gratus ſit: amat enim ille ſemper, ſive blandiatur, ſive minetur.

Non poteſt fieri ut (Deus) puniat quod fecit. Punit quod facis, ut liberet quod fecit.

Deus patiens eſt, quia æternus eſt. Nullum mare tam profundum eſt quàm eſt iſta cogitatio Dei, ut mali floreant, & boni laborent. Nihil tam profundum, nihil tam altum, ubi naufragat omnis infidelis in iſto alto, in iſto profundo. Vis tranſire profundum hoc? A ligno Chriſti noli reſilire: ne mergaris, tene te ad Chriſtum. Quid

est quod dico, tene te ad Christum? Ideo voluit ipse in terra laborare.

Noli gaudere ad piscem qui in esca sua exultat, nondum traxit hamum piscator.

Longanimis est Deus & patiens, omnia ista mala quæ videt à malis fieri, tolerat. Quare? Quia æternus est, & videt quid illis servet. Vis & tu esse longanimis & patiens? Junge te æternitati Dei, cum illo expecta illa quæ infra te sunt: cum enim adhæserit cor tuum Altissimo, infra te erunt omnia mortalia.

In Ps. 92 enarratio.

Dominus regnavit, decorem induit, induit Dominus fortitudinem. Videmus quia duas res induit, decorem & fortitudinem. Ut quid autem? Ut fundaret terram. Sequitur enim: *Etenim confirmavit orbem terræ, qui non commovebitur.* Unde confirmavit? Quia decorem induit. Non confirmaret, si solum decorem indueret, & non fortitudinem? Quare ergo decorem? Quare fortitudinem? Utrumque

enim dixit: *Dominus regnavit, decorem induit, induit Dominus fortitudinem.* Noſtis, fratres, quia Dominus noſter cum veniſſet in carne, his quibus prędicabat Evangelium, aliis placebat, aliis diſplicebat. Nam diviſæ ſunt adverſus ſe linguæ Judæorum: *Alij dicebant* Ioan. 7. *quia bonus eſt: alij dicebant, non; ſed ſeducit turbas.* Alij ergo loquebantur bene: alij detrahebant, lacerabant, latrabant, mordebant, conviciabantur. Ad eos ergo quibus placebat, decorem induit: ad eos quibus diſplicebat, fortitudinem induit. Imitare ergo & tu Dominum tuum, ut poſſis eſſe veſtis ipſius. Eſto cum decore ad ęos quibus placent bona opera tua: eſto fortis adverſus detractores.

Omnis fortitudo in humilitate, quia fragilis eſt omnis ſuperbia.

In ipſa area mira res eſt de tritico. Recedit à palea, cum expoliatur: & non recedit ab area, cum trituratur. Quando autem omnino ſeparabitur? Cum venerit ventilator.

In Ps. 93 Ad hoc clauduntur quædam Sacramenta Scripturarum, non ut denegentur, ſed ut pulſantibus aperiantur.

Qui timore innocens eſt, non eſt innocens, quamvis non noceat cum vult nocere: non enim nocet alteri per effectum malum, ſed ſibi plurimum per cupiditatem malam.

Odit valde patriam, qui putat ſibi bene eſſe cum peregrinatur.

Miſericordia in eos qui non contempſerunt miſericordiam.

Noli attendere minuta peccata tua quotidiana. De minutiſſimis guttis flumina implentur.

Humilitas Chriſti ſuperbis diſplicet.

Quod facit homo male, ipſius eſt hominis: quod facit bene, de beneficio Dei facit. Cum cœperit facere bene, non ſibi tribuat: cum non ſibi tribuerit, gratias agat ei à quo acceperit. Cum autem bene facit, non inſultet illi qui illud non facit, aut extollat ſe ſuper eum: non enim in illo finita eſt gratia

Dei,

Dei, ut ad alium non perveniat.

Elige tibi, temporalem vis laborem, an ſempiternam pœnam; temporalem felicitatem, an ſempiternam vitam? Quid minatur Deus? Sempiternam pœnam. Quid promittit Deus? Sempiternam requiem. In quo flagellat Deus bonos, temporale eſt: in quo parcit malis, temporale eſt.

Quanto labore digna eſt requies quæ non habet finem? Si verum vis comparare, & verum judicare, æterna requies æterno labore recte emitur. Verum hoc eſt: ſed noli timere, miſericors eſt Deus: ſi enim haberes æternum laborem, nunquam pervenires ad æternam quietem. Semper laborans, quando perventurus eras ad illud quod digne quidem poteſt emi ſempiterno labore? Quia ſempiterna requies eſt, æqua pretium: æterno certe labore digna eſt æterna quies comparari. Sed ſi ſemper laborares, nunquam ad requiem pervenires. Ergo ut aliquando pervenias

ad id quod emis, non in æternum laborandum eſt: non quia non valet tanti, ſed ut poſſideatur quod emitur. Digna eſt quidem emi labore perpetuo, ſed neceſſe eſt ut labore temporali ematur. Certe tantus debuit eſſe, id eſt, ſempiternus labor pro requie ſempiterna. Decies centena millia annorum in labore quid valent? Decies centena millia annorum habent finem: quod tibi dabo, dicit Dominus, non habebit finem. Qualis miſericordia Dei? Nec dicit, Decies centena millia annorum labora: non dicit, Vel mille annos labora: non dicit, Quingentos annos labora: cum vivis labora, in paucis annis. Inde jam requies erit, & finem non habebit.

Si Deus non miſceret amaritudines felicitatibus ſeculi, oblivisceremur eum.

In Pſ. 94 enarratio. Securitas laudis in laude Dei eſt: ibi laudator ſecurus eſt, ubi non timet ne de laudato erubeſcat.

Exultatio mala eſt, exultare ſe-

ctulo: exultatio bona eſt, exultare Deo.

Pie debes Domino exultare, ſi vis ſecurus mundo inſultare.

Dæmonibus templa fabricata ſunt, Dæmonibus aræ conſtructæ, Dæmonibus ſacerdotes inſtituti, Dæmonibus oblata ſacrificia, Dæmonibus arrepticij tanquam vates inſtituti. Hæc omnia Dæmonibus gentes exhibuerunt, hæc omnia vero non niſi uni magno Deo debentur. Templum fecerunt gentes Dæmonibus, habet Deus templum. Sacerdotes fecerunt gentes Dæmonibus, habet Deus ſacerdotes: ſacrificium exhibuerunt gentes Dæmonibus, habet Deus ſacrificium: etenim illi Dæmones volentes videri Dij, non ſibi iſta exegerunt ut fallerent, niſi quia ſciunt ea deberi vero Deo: hoc enim mos eſt deberi vero Deo quod ſibi exigit falſus Deus.

Templum Dei ſanctum eſt, quod eſtis vos. Si ergo nos ſumus templum Dei, ara Dei anima noſtra eſt. 1. Cor. 3.

Nulla tentatio, nisi acceperit mensuram à Domino.

Ardes forte conscientia delicti, lacrymis extingue flammam peccati. Plora ante Dominum, securus plora ante Deum qui te fecit; non enim opus manuum suarum contemnet in te. Non parvæ fiduciæ est ad factorem res facta, & non quomodocumque facta, sed ad imaginem & similitudinem ipsius.

Noli putare quia potes à te refici. A te deficere potes, tu teipsum reficere non potes: ille reficit qui te fecit.

Quibus juravi in ira mea, si introibunt in requiem meam. Loqui Dominum magnum est, quanto magis jurare Deum? Jurantem hominem debes timere, ne propter jurationem faciat quod contra voluntatem ejus est: quanto magis Deum, qui nihil temere jurare potest? Jurationem ad confirmationem voluit esse. Et per quem jurat Deus? Per seipsum: Non enim ha-

bet majorem per quem juret. Per seipsum confirmat promissa sua, per seipsum confirmat minas suas. Nemo dicat in corde suo: Verum est quod promittit, falsum est quod minatur. Sicut verum est quod promittit, sic certum est quod minatur. Quàm certus debes esse de requie, de felicitate, de æternitate, de immortalitate, si feceris præcepta ipsius: tam certus esse debes de interitu, de ardore ignis æterni, de damnatione cum Diabolo, si contempseris præcepta ejus.

Tenebantur homines captivi sub Diabolo, & Dæmonibus serviebant: sed redempti sunt à captivitate: vendere enim se potuerunt, sed redimere non potuerunt. Venit Redemptor, & dedit pretium, fudit sanguinem suum, emit orbem terrarum. Quæritis quid emerit? Videte quid dederit, & invenite quid emerit. Sanguis Christi pretium est. Tanti quid valet? Quid, nisi totus orbis? Quid, nisi omnes gentes? Valde ingrati sunt pretio *In Ps. 95 enarratio.*

ſuo, aut multum ſuperbi ſunt, qui dicunt aut illud tam parvum eſſe ut ſolos Afros emerit: aut ſe tam magnos eſſe, pro quibus ſolis illud ſit datum.

Qualis amor eſt Chriſti timere ne veniat? Fratres, non erubeſcimus? Amamus & timemus ne veniat. Certe amamus. An peccata noſtra plus amamus? Ergo iſta oderimus peccata, & amemus eum qui venturus eſt ad punienda peccata. Veniet, velimus, nolimus: non enim quia modo non venit, ideo venturus non eſt. Veniet & quando neſcis: & ſi paratum te invenerit, nihil tibi obeſt quia neſcis.

In Pſ. 96 enarratio. *Iudicabit orbem terrarum in æquitate.* Non partem, quia non partem emit. Totum judicare habet, quia pro toto pretium dedit.

Si vis eſſe cælum, purga de corde tuo terram.

Non eſt dignus Chriſtus, cum quo diligas avaritiam. Amas illum, debes odiſſe quod odit. Homo eſt inimicus tuus, hoc eſt quod tu,

creati estis ab uno creatore in una conditione; & tamen si filius tuus loquatur cum inimico tuo, & assiduas collocutiones habeat cum illo, exhæredare eum vis; quia loquitur cum inimico tuo. Et quomodo? Quia justam vocem videris tibi habere: Amicus es inimici mei, & quæris aliquid de re mea. Ergo attende. Diligis Christum, inimica Christi est avaritia. Quare cum ea loqueris? Non dico, loqueris cum illa, quare illi servis? Nam multa jubet Christus, & non facis: jubet ipsa, & facis. Jubet Christus ut vestias pauperem, & non facis: jubet ipsa avaritia ut facias fraudem, & hoc potius facis. Si hæc ita sunt, si talis es, noli tibi multum promittere hereditatem Christi. Sed dicis: Diligo Christum. *Qui diligitis Dominum, odite malignum.* Hinc apparet te diligere quod bonum est, si inventus fueris odisse quod malum est.

Quid tibi promisit Christus, nisi quod ostendit ipse?

Quid tibi ablaturus est sæviens, cum cœperis odisse malignum? Quia diligis Dominum, quid ablaturus? Patrimonium. Nunquid cælum? Postremo quicquid tibi dedit Deus, tollat. Ille non tollit quidem, si non vult Deus. Si autem vult Deus, tollit quod dedit Deus, ne se tibi auferat ipse Deus. Deum nemo tollet: tu tibi illum tollis, si fugis.

Quare amas habere quod Christus, si times pati quod Christus?

Nemo sibi promittat quod Evangelium non promittit.

In Ps. 97 enarratio. Vetus vita ex Adam trahitur, nova vita in Christo formatur.

Sanavit ei dextera ejus, & brachium sanctum ejus. Non dictum est tantum, orbem terrarum sanavit dextera ejus: sed, sanavit ei. Multi enim sanantur sibi, non ei. Ecce quam multi cupiunt sanitatem istam corporalem, & ab illo accipiunt, & ab illo sanantur, & non illi sanantur. Accepta sanitate lasciviunt. Qui ægroti casti erant,

sanati

ſanati adulteri fiunt: qui cum ægrotarent neminem lædebant, receptis viribus invadunt & opprimunt innocentes: ſanati ſunt, ſed non ei. Quis eſt qui ſanatur ei? Qui intus ſanatur. Quis eſt qui intus ſanatur? Qui credit in eum, & cum internis fuerit ſanatus; in novum hominem reformatur.

In poteſtate tua eſt quomodo expectes venturum Chriſtum. Adventus ipſius durus eſt duris, mitis eſt piis. Vide ergo modo tu qui ſis. Si durus, licet tibi miteſcere: ſi mitis, jam gaude venturum: Chriſtianus enim es. Ita, inquis. Credo quod oras, & dicis: *Veniat regnum tuum.* Optas ut veniat, quem times ne veniat: corrige te, ut non ores contra te.

Idoneus eſt homo ad vulnerandum ſe, nunquid idoneus eſt ad ſanandum ſe? Quando vult ægrotat, non quando vult ſurgit. Si vult, vivat intemperanter vel in frigore, vel in calore: eo die ægrotat quo voluerit. Cum autem vivendo in- *In Pſ 98 enarratio.*

temperanter cœperit ægrotare; surgat quando vult. Quievit quando voluit; surgat, si potest, quandó vult. Ut jaceret ægrotus, intemperantiam suam habuit necessariam: ut surgat autem, necessariam habet artificis medicinam. Sic ergo ut peccet homo, ipse sibi sufficit ad peccandum: ut justificetur, non sibi sufficit, nisi ab illo justificetur qui solus justus est.

Exaltate Dominum Deum nostrum, & adorate scabellum pedum ejus. Quæro quid sit scabellum pedum eius: & dicit mihi Scriptura:
Isa. 66. *Terra scabellum pedum meorum:* fluctuans converto me ad Christum, quia ipsum quæro hîc, & invenio quomodo sine impietate adoretur terra, sine impietate adoretur scabellum pedum eius: suscepit enim de terra terram, quia caro de terra est, & de carne Mariæ carnem accepit. Et quia in ipsa carne hîc ambulavit, & ipsam carnem nobis manducandam ad salutem dedit; nemo autem illam car-

nem manducat, nisi prius adoraverit: inventum est quemadmodum adoretur tale scabellum pedum Domini, & non solum non peccemus adorando, sed peccemus non adorando.

Illi Deus irascitur, quem peccantem non flagellat: Nam cui vere propitius est, non solum donat peccata ne noceant ad futurum seculum: sed etiam castigat, ne semper peccare delectet.

Tantum te torquet injustitia aliena, quantum recesseris à tua.

Ex sententia Domini necesse parcere zizaniis, ex conditione servi necesse vivere inter zizania. Separare ea non potes, tolerare tibi necesse est.

Quanto major charitas, tanto majores plagæ de peccatis alienis.

In magnitudine revelationum ne extollar, datus est stimulus carnis meæ, Angelus Satanæ qui me colaphizet. Tam perfectus erat (Paulus) ut tamen timendum esset ne extolleretur: nam non poneret 2. Cor. 12.

Deus medicamentum ubi vulnus non esset. Et rogavit ut tolleretur, æger ille rogauit, ut auferretur medicamen. *Propter quod ter Dominum rogavi*, inquit, *vt eum auferret à me:* id est, stimulum carnis à quo colaphizabatur, aliquem forte dolorem corporis. *Rogavi*, inquit, *ut auferret eum à me, & dixit mihi: Sufficit tibi gratia mea. Nam virtus in infirmitate perficitur*. Ego novi quem curo, non mihi det qui ægrotat consilium. Tamquam emplastrum mordax urit te, sed sanat te. Rogat Medicum ut tollat emplastrum: & non tollit, nisi cum fuerit sanatum quò posuerat.

In Ps. 99 enarratio. Para unde videas quod amas antequam videas.

Damna quod es, ut merearis esse quod non es.

Nunquam justitiam percepturus es, si adhuc tibi placet iniquitas.

Non locorum intervallis acceditur ad Deum, aut receditur à Deo. Dissimilis factus, longe re-

cessisti : similis factus proxime accedis.

Disce diligere inimicum, si vis cavere inimicum.

Recedit à te Deus, cum tu recedis à Deo.

Libera servitus est apud Dominum, libera servitus, ubi non necessitas, sed charitas servit.

Servum te charitas facit, quia liberum te veritas fecit. Simul es & servus & liber: servus, quia factus es: liber, quia amaris à Deo, à quo factus es: imo etiam inde liber, quia amas eum à quo factus es.

Gustatur hîc unde ibi satiemur.

Non habes quod in te alius sustineat? Miror si non est. Sed ecce non sit. Eo robustior es ad cæteros sustinendos, quod jam non habes quod in te alij sustineant. Non sustineris, sustine cæteros. Non possum, inquis. Ergo habes quod in te alij sustineant.

Nulli prodesse impium & crudele est, Nonne hoc docuit Domi-

nus meus? Non enim damnavit servum qui intervertit quod accepit, sed qui non erogavit. Intelligatur pœna interversoris ex pœna
Mat. 25. pigri. *Serve nequam & piger,* ait Dominus damnans. Non ait, Intervertisti pecuniam meam: non ait, Dedi tibi, & non mihi quod dedi integrum reddidisti: quia non crevit, quia non erogasti, inde, inquit, te puniam.

Avarus est Deus salutis nostræ.

Nemo vos fallat, fratres: si non vultis falli, & vultis amare fratres, scitote omnem professionem in Ecclesia habere fictos. Non dixi, omnem hominem esse fictum, sed omnem professionem habere fictas personas. Sunt Christiani mali, sed sunt & boni. Quasi plures malos vides quia palea sunt, & te ad grana pervenire non permittunt. Sunt ibi & grana, accede, tenta, excute, adhibe oris judicium. Invenis Sanctimoniales indisciplinatas. Nunquid ideo Sanctimonium reprehendendum est?

Melius eſt humile conjugium, quàm ſuperba virginitas: ſi enim nuberet, non haberet nomen unde extolleretur, & haberet frænum quo regeretur. Sed nunquid propter virgines malas damnaturi ſumus & ſanctas & corpore & ſpiritu? Undique *vnus aſſumetur, & vnus relinquetur.* Mat. 24.

Quid prodeſt integra caro, mente corrupta?

Difficile eſt in hac vita ut ſic homo mutetur, ut nihil inveniatur in eo quod reprehendatur.

Opus eſt ut tu te reprehendas, ne ille reprehendat qui damnaturus eſt.

Nemo ſibi ad impunitatem blandiatur de miſericordia Dei, quia eſt judicium. *In Pſal.* 100. *enarratio.*

Duobus modis nocet homo quantum in ipſo eſt, aut faciendo miſerum, aut deſerendo miſerum.

Quis eſt innocens? Qui cum alij non nocet, nec ſibi nocet: qui enim & ſibi nocet, non eſt innocens.

Superbia mater invidentiæ eſt;

non poteſt niſi generare hanc, & cum illa ſemper eſſe.

Concio 1. de 1. parte Pſal. 101

Quid illo ditius, per quem factæ ſunt divitiæ, illæ etiam quæ non ſunt veræ divitiæ?

Sperans vitam, non negligis medicinam.

Ne deſperatione homines pejus viverent, promiſit (Deus) indulgentiæ portum. Rurſus ne de ſpe veniæ pejus viverent, fecit diem mortis incertum: providentiſſime utrumque conſtituens, & revertentes quo recipiantur, & differentes unde teneantur.

Indulgentiam tibi Deus promiſit, craſtinum diem tibi nemo promiſit.

Concio 2. de 2. parte Pſal. 101

Non aliud anni Dei, & aliud ipſe Deus; ſed anni Dei æternitas eſt. Æternitas ipſa Dei ſubſtantia eſt, quæ nihil habet mutabile. Ibi nihil eſt præteritum, quaſi iam non ſit: nihil eſt futurum, quaſi nondum ſit. Sed non eſt ibi niſi EST, non eſt ibi FVIT & ERIT, quia & quod fuit iam non eſt, & quod

erit nondum est, sed quicquid est, non nisi EST.

Vestimentum animæ corpus.

Non poterunt ante oculos tuos esse retributiones Domini, nisi ante oculos tuos fuerint peccata tua.

Omnipotenti Medico nullus langor insanabilis occurrit, tantum tu curari te sine. Manus eius ne repellas, novit quid agat. Non tantum delecteris cum fovet, sed etiam toleres cum secat. Tolera medicinalem dolorem, futuram cogitans sanitatem. Videte, fratres mei, in istis langoribus corporis quanta homines tolerent, ut paucos dies victuri moriantur, & hos paucos dies incertos: multi enim post tolerantiam magnorum dolorum, cum à Medicis secarentur, aut inter Medicorum manus mortui sunt, aut iam sani irruente aliqua ægritudine defuncti sunt. Si tam propinquam mortem sperarent, illos immensos dolores non susciperent tolerandos. Tu non to-

leras: an incertum? Qui promisit ſanitatem, non poteſt falli. Fallitur Medicus aliquando, & promittit ſanitatem de corpore humano. Quare fallitur? Quia hoc non curat quod fecit. Deus fecit corpus tuum, Deus fecit animam tuam: novit quemadmodum recreet quod creavit, novit quemadmodum reformet quod ipſe formavit. Tu tantum ſub manibus Medici eſto: odit enim repellentem manus ſuas. Non fit hoc in Medici hominis manibus. Ligari ſe volunt homines & ſecari: daturi pro incerta ſanitate magnam mercedem. Deus te quem fecit & certus curat & gratis.

Exaggeravimus morbum, laudemus & Medicum. Sanabit te, opus eſt ut ſanari velis. Sanat omnino ille quemlibet languidum, ſed non ſanat invitum. Quid autem te beatius, quàm ut tanquam in manu tua vitam, ſic habeas in voluntate ſanitatem tuam?

Satiari vis bonis Dei; ſatiata ſit

in te misericordia Dei.

Tu vide quid emas, quando emas, quanti emas: emis enim regnum cælorum: non est emendi tempus nisi in hac vita. Et quàm vili emas, attende. Tanti tibi valet, quantum habere poteris.

In omnes fac misericordiam. Fac misericordiam iniquo, non tanquam iniquo: nam ipsum iniquum inquantum iniquus est, ne suscipias: id est, ne quasi intentione & amore iniquitatis illius suscipias eum. Nam & prohibitum est dari peccatori, & suscipere peccatores. Et quomodò, *Omni petenti te da?* Et quomodo, *Si esurierit inimicus tuus, ciba illum?* Quasi contraria videntur, sed aperiuntur in nomine Christi pulsantibus, & manifesta erunt quærentibus. Ne tradas peccatori, & ne suscipias peccatorem: & tamen omni petenti te da. Et si peccator est qui te petit, da non tanquam peccatori. Quando das tanquam peccatori? Quando in quo peccator est, hoc tibi placet.

ut des; Deum offendis. Paululum attendat charitas donec evolvatur res etiam exemplis, multum utilis ad intelligendum. Hoc dixi: Cum esurierit nescio quis, si habes unde des, da: si vides dandum esse, ad subveniendum da. Ne pigrescant in hoc viscera misericordiæ: quia tibi enim homo peccator occurrit, tibi etiam peccator homo occurrit. Cum dico, Occurrit tibi homo peccator; duo nomina dixi. Hæc duo nomina non superflua sunt. Duo nomina, aliud quod homo, aliud quod peccator. Quod homo, opus est Dei: quod peccator, opus hominis est. Da operi Dei, noli operi hominis. Et quomodo, inquis, me prohibes dare operi hominis? Quid est dare operi hominis? Peccatori dare propter peccatum, placenti tibi propter peccatum. Et quis hoc faciet, inquis, quis hoc faciet? Utinam nemo, utinam pauci, utinam non publice. Qui donat histrionibus, qui donat meretricibus, quare donat? Nun-

quid non & ipſi hominibus donant? Non tamen ibi attendunt naturam operis Dei, ſed nequitiam operis humani.

Oportet in via laborare, ut in patria gaudeamus.

Supplicem nullum ſpernas, & cui dare non potes quod petierit, non ſpernas. Si potes dare, da: ſi non potes, affabilem te præſta. *Concio 1. de 1. parte Pſ. 103.*

Quare quæris pulchritudinem, ô anima? Ut amet te ſponſus tuus: etenim diſplices ei fœda. Ille autem qualis eſt? *Speciosus forma præ filijs hominum.* Huic tu placere vis, ô anima humana? Vis ei placere? Non potes, quamdiu deformis es. Quid facies ut pulchra ſis? Prius tibi diſpliceat deformitas tua, & tunc ab illo ipſo cui vis placere pulchra, mereberis pulchritudinem: ipſe enim erit reformator tuus, qui fuit formator tuus. *Pſal. 44.*

Maior in nos dilectio Dei, quàm noſtra in illum.

Eſſe Angelos novimus de fide, & multis apparuiſſe ſcriptum legi-

mus & tenemus, nec inde dubitare fas vobis eſt. Spiritus autem Angeli ſunt; & cum ſpiritus ſunt, non ſunt Angeli: cum vero mittuntur, fiunt Angeli; Angelus enim officij nomen eſt, non naturæ. Quæris nomen hujus naturæ? ſpiritus eſt: quæris officium? Angelus eſt. Ex eo quod eſt, ſpiritus eſt: ex eo quod agit, Angelus eſt. Vide illud in homine. Nomen naturæ, homo; officij, miles: nomen naturæ, vir; officij, præco: homo enim fit præco, id eſt, qui homo erat, fit præco: non qui erat præco, fit homo.

Quare quædam in rebus viſibilibus quaſi abſurda miſcet Spiritus Sanctus, niſi ut ex eo quod non poſſumus accipere ad litteram, cogat nos iſta ſpiritaliter quærere? Interrogate, quando rogatis Deum, corda veſtra: videte quomodo tranſmittatis verſum iſtum: *Dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris.* Non eris orans, niſi iſta dicas: ſi alia dicas, non te exaudit ille, quia

non ipſa tibi dictavit Juriſperitus quem miſit. Neceſſe eſt ergo ut & quando verba noſtra dicimus in oratione, ſecundum ipſam dicamus: & quando ipſa verba dicimus, bene intelligamus quod dicimus, quia manifeſtam illam Deus eſſe voluit. Si ergo non oraveritis, ſpem non habebitis: ſi aliter quàm Magiſter docuit, oraveritis, non exaudiemini: aut ſi in oratione mentiti fueritis, non impetrabitis. Ergo & orandum & verum dicendum eſt, & ſic orandum eſt quomodo ille docuit. Velis, nolis, quotidie dicturus es: *Dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris.* Vis ſecurus dicere? Fac quod dicis.

Quod difficilius quæritur, ſolet dulcius inveniri. *Concio 2. de 1. parte Pſ. 103.*

Nemo vobis dicat: Præceptum eſt à Chriſto, ut ſervo Dei detur, mendico non detur. Abſit prorſus, impius iſta loquitur. Da illi, ſed multo magis illi: ille enim petit, & in voce petentis agnoſce cui *Concio 3. de 2. parte Pſ. 103.*

des. Ille autem quanto minus petit, tanto magis tibi vigilandum est ut præoccupes petiturum: aut forte modo non petiturum, & aliquando damnaturum. Itaque curiosi estote ad ista, fratres mei, & invenietis multorum Dei servorum indigentiam: tantum ut velitis invenire. Sed quia delectat nos excusatio, quia vultis dicere, nesciebamus, propterea non invenitis.

Si vos inebriat calix Domini præclarus, videbitur ista ebrietas in operibus vestris, videbitur in sancto amore justitiæ, videbitur postremo in alienatione mentis vestræ, sed à terrenis in cælum.

In neminem habet Diabolus potestatem, vel in aliquid ejus, nisi ille concedat cui est potestas summa & sublimis.

Hominì nulla est potestas in hominem, nisi desuper detur.

In Ps. 104. enarratio. Ipsa est illa mirabilis Dei bonitas, quia bene utitur etiam malis vel Angelis vel hominibus: cum enim ipsi vitio suo mali sint, ille de

de malo eorum bene facit.

Si tentationes duræ ſunt in hoc ſeculo, Joſeph in carcere, Jeſum in cruce cogitate.

Valde occulta & abſtruſa vis eſt qua Deus agit, ut etiam illa quæ ſenſu carent, confeſtim ejus obtemperent voluntati. *In Pſal. 105. enarratio.*

Quàm multi non noſtri adhuc quaſi intus, & quàm multi noſtri adhuc quaſi foris! Novit Dominus qui ſunt ejus. Et illi non noſtri qui intus ſunt, quando occaſiones invenerint, exeunt: & illi noſtri qui foris ſunt, quando occaſiones invenerint, redeunt. *In Pſal. 106. enarratio.*

Sex ſunt in iſto genere differentiæ, quæ ccmmemoratæ animadverti facillime poſſunt: reddere bona pro malis, non reddere mala pro malis: reddere bona pro bonis, reddere mala pro malis: non reddere bona pro bonis, reddere mala pro bonis. Horum duo prima bonorum ſunt, & eorum duorum prius melius: poſtrema duo malorum, & eorum poſterius de- *In Pſal. 108 enarratio.*

terius: dico media quodammodo mediorum, ſed eorum prius propinquum bonis, poſterius propinquum malis. Hæc in Scripturis Sanctis oportet attendere. Reddidit bona pro malis ipſe Dominus qui juſtificat impium, & pendens
Luc. 23. in cruce dixit: *Pater, ignoſce illis, quia neſciunt quid faciunt.* Cujus veſtigia ſecutus ſanctus Stephanus, fixo genu oravit pro lapidan-
Act. 7. tibus, dicens: *Domine, ne ſtatuas illis hoc delictum.* Ad quam rem
Math. 5. præceptum pertinet: *Diligite inimicos veſtros, benefacite his qui oderunt vos, & orate pro eis qui vos perſequuntur.* Mala pro malis non eſſe reddenda, Paulus Apoſtolus
Rom. 12. dicit: *Nulli malum pro malo red-*
1. Pet. 3. *dentes.* Et Apoſtolus Petrus: *Non reddentes malum pro malo, vel maledictum pro maledicto.* Unde & in
Pſal. 7. Pſalmis legitur: *Si reddidi retribuentibus mihi mala.* Duorum poſtremorum illud mitius ad novem leproſos pertinet, qui cum mundati eſſent à Domino, gratias Do-

mino non egerunt. Illud vero ultimum, quo nihil eſt pejus, ad hos pertinet de quibus in iſto Pſalmo legitur: *Pro eo ut me diligerent, detrahebant mihi.* Dilectionem quippe debebant tantis Domini beneficiis, quam non ſolum minime reddebant, verum etiam pro illo bono irrogabant malum. Duo vero media quæ diximus hominum quodammodo eſſe mediorum ita ſe habent, ut eorum prius quod eſt reddere bona pro bonis, habeant & boni, & mediocriter boni, vel mediocriter mali. Ideo Dominus hoc non reprehendit, ſed non vult in eo ſolo diſcipulos ſuos permanere quos vult ad majora provehere, quibus dixit: *Si dilexeritis* *Matth. 5.* *eos qui vos diligunt,* id eſt, ſi reddideritis bona pro bonis, *quam mercedem habebitis?* id eſt, quid magnum facietis? *Nonne & publicani hæc faciunt?* Vult autem illos & hoc facere, & longe amplius, ideſt, ut non ſolum amicos, verum etiam inimicos diligant.

Posterius autem, quod est reddere mala pro malis, habent & mali, vel mediocriter mali, vel mediocriter boni: usque adeo ut lex eis dederit ulciscendi modum, oculum pro oculo, dentem pro dente, quæ si dici potest, injustorum justitia est. Non quia iniquum est ut recipiat unusquisque quod fecerit, alioqui lex nequaquam id constitueret: sed quia ulciscendi libido vitiosa est, magisque ad judicem pertinet inter alios hoc discernere, quàm bonum hominem sibi expetere.

Non est justa oratio nisi per Christum. Oratio quæ non fit per Christum, non solum non potest delere peccatum, sed etiam ipsa fit in peccatum.

Sive per aquam propter ablutionem vel irrigationem, sive per oleum propter exultationem & inflammationem charitatis significetur Spiritus Sanctus, non ideo est à seipso diversus, quia signa diversa sunt: multum enim diversa sunt etiam leo & agnus, & tamen

utroque ſignificatus eſt Chriſtus. leo propter aliud, agnus propter aliud: non tamen alius. Quia nec fortis eſt agnus, nec innocens leo: Chriſtus autem & innocens eſt ut agnus, & fortis ut leo.

Nemo juſte vivit, niſi juſtificatus, id eſt, juſtus effectus. Ab illo autem fit homo juſtus, qui nunquam poteſt eſſe injuſtus. Sicut lucerna non à ſeipſa accenditur, ita nec anima humana ſibi præſtat lucem, ſed clamat ad Deum: *Tu illuminabis lucernam meam, Domine.* *In Pſ. 107. enarratio.* *Pſal. 17.*

Quia incredibile videbatur hominibus quod promittebat Deus, ex hac mortalitate, corruptione, abjectione, infirmitate, pulvere & cinere futuros homines æquales Angelis Dei, non ſolum Scripturam cum hominibus fecit ut crederent, ſed etiam fidei ſuæ poſuit mediatorem, non quemlibet Principem, aut quemlibet Angelum vel Archangelum, ſed unicum Filium ſuum: ut qua via nos perdu-

cturus esset ad illum finem quem promisit, per eum ipsum Filium & ostenderet & præberet: parum enim erat Deo, ut Filium suum faceret demonstratorem viæ: eum ipsum viam fecit, ut per illum ires regentem te, ambulantem per se.

Sine expectatione salutis ægrotabamus: missus est Medicus, quem non cognovit ægrotus: *si enim cognovissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent*. Sed hoc quoque valuit ad ægroti medicamentum, quod Medicum occidit ægrotus: venit ut visitaret, occisus est ut sanaret.

Unicus Filius Dei venturus ad homines, assumpturus hominem, & per id quod sumpsit futurus homo, moriturus, resurrecturus, ascensurus in cælum, sessurus ad dexteram Patris, & impleturus in gentibus quæ promisit, & post impletionem promissorum suorum in gentibus etiam hoc impleturus ut veniat, & quod prærogavit exigat, discernat vasa iræ à vasis miseri-

cordiæ, reddat impiis quod minatus est, justis quod pollicitus est. Hoc totum prophetandum fuit, prænunciandum fuit, venturum commendandum fuit, ut non subito veniens horreretur, sed creditum expectaretur.

Quæ esset merces fidei, nisi lateret quod credimus?

Merces fidei est videre quod credidimus antequam videremus.

(Christus) secundum id quod natus est de Patre apud Deum, coæternus gignenti, non sacerdos, sed sacerdos propter carnem assumptam, propter victimam quam pro nobis offerret à nobis acceptam.

Non semper confessio peccatorum est, sed & laus Dei devotione confessionis exprimitur. Illa luget, hæc gaudet: illa Medico vulnus ostendit, hæc de sanitate gratias agit. *In Psal. 110 enarratio.*

Nec totum dedit qui pignus dedit.

Non requies nisi in cælesti patria requiratur.

ſervus infidelis, convertat illum Chriſtus, & non ei dicat: Dimitte dominum tuum, jam cognoviſti eum qui verus eſt dominus. Ille forte impius eſt & iniquus, tu autem fidelis & juſtus. Indignum eſt ut juſtus & fidelis ſerviat iniquo & infideli. Non hoc ei dixit, ſed magis ſerviat. Et ut corroboraret ſervum, hoc dixit: Exemplo meo ſervi, quia prior ego ſervivi iniquis. Dominus enim tanta in Paſſione ſuſtinens, à quibus ſuſtinuit; niſi dominus à ſervis? Et à quibus, niſi à malis ſervis? Nam ſi fuiſſent boni ſervi, honoraſſent dominum ſuum. Sed quia mali ſervi erant, injuriaverunt dominum. Ille quid contra reddidit? Dilectionem pro odio. Ait enim: *Pater, ignoſce illis, quia neſciunt quid faciunt.* Si Dominus cæli & terræ, per quem facta ſunt omnia, ſervivit indignis; rogavit pro ſævientibus & furentibus, & tanquam Medicum ſe exhibuit adveniens; nam & Medici & arte & ſanitate meliores

ſerviunt ægrotis, quanto magis non debet dedignari homo ex toto animo & tota voluntate bona, cum tota dilectione ſervire domino etiam malo? Ecce ſervit melior deteriori, ſed ad tempus. Quod autem dixi de domino & ſervo, hoc intelligite de poteſtatibus & Regibus, & de culminibus hujus ſeculi: aliquando enim poteſtates bonæ ſunt, & timent Deum, aliquando non timent Deum. Julianus extitit infidelis Imperator. Nonne extitit apoſtata, iniquus, idololatra? Milites Chriſtiani ſervierunt Imperatori infideli. Ubi veniebatur ad cauſam Chriſti, non agnoſcebant niſi illum qui in cælo erat. Quando volebat ut idola colerent, ut thurificarent, præponebant illi Deum. Quando autem dicebat: Producite aciem, ite contra illam gentem; ſtatim obtemperabant. Diſtinguebant dominum æternum à domino temporali; tamen ſubditi erant propter dominum æternum etiam domino temporali,

In iſta vita quæ plena eſt lacrymis, ſeminemus. Quid ſeminabimus? Opera bona. Opera miſericordiæ ſemina noſtra ſunt. *In Pſal. 125. enarratio.*

Nemo habet aliquid boni, niſi ab illo acceperit qui ſolus bonus eſt. *In Pſal. 126. enarratio.*

Humiliemur in ſeculo, ut aſcendamus.

Reſurrexit Lazarus, ſed moriturus; reſurrexit filia Archiſynagogi, ſed moritura; reſurrexit filius viduæ, ſed moriturus; reſurrexit Chriſtus non moriturus.

Seculi homines infeliciter felices ſunt, Martyres autem féliciter infelices erant; erant enim ad tempus infelices, ſed in æternum felices. *In Pſal. 127. enarratio.*

Non felicitas eſt habere filios, ſed bonos habere.

Nulli apparent mali in Eccleſia, niſi ei qui fuerit bonus. *In Pſal. 128. enarr.*

Hoc eſt credere in Chriſtum, diligere Chriſtum. *In Pſal. 130. enarratio.*

Per id quod homo erat, mortuus eſt Deus; & per id quod Deus erat, excitatus eſt homo, & reſurrexit,

& aſcendit in cælum. Quicquid paſſus eſt homo, non poteſt dici, non paſſus eſt Deus, quia Deus erat hominem aſſumendo, ſed non eſt mutatus in hominem: quomodo non potes dicere non te paſſum injuriam, ſi veſtis tua conſcindatur. Et quando quereris vel amicis vel in judicio, hoc dicis Judici: Conſcidit me. Non dicis: Conſcidit birrhum meum: ſed, conſcidit me. Si potuit & meruit veſtis tua dici tu, quæ non eſt tu, ſed veſtis tua; quanto potius meruit audire caro Chriſti, templum Verbi unitum Verbo, ut quicquid in carne pateretur, Deus ipſe pateretur: quamvis Verbum nec mori potuerit, nec corrumpi, nec mutari, nec occidi, ſed quicquid horum paſſum eſt, in carne paſſum eſt? Et noli mirari quia Verbum nihil paſſum eſt: nec anima hominis poteſt pati aliquid, occiſa carne, dicente ipſo Domino: *Nolite timere eos qui corpus occidunt, animam autem non poſſunt occidere.*

Quid vovemus Deo, nisi ut simus templum Dei? Nihil possumus ei gratius offerre, quàm ut dicamus ei quod dicitur in Isaia: *Posside nos.* *In Psal. 131. enarratio.*

Securus opta amicitiam Christi.

Ecce quàm bonum & quàm jucundum habitare fratres in unum! Ista verba Psalterij, iste dulcis sonus, ista suavis melodia tam in cantico quàm in intellectu etiam monasteria peperit. Ad hunc sonum excitati sunt fratres, qui habitare in unum concupierunt: iste versus fuit tuba ipsorum. Sonuit per omnem orbem terrarum, & qui divisi erant, congregati sunt in unum. *In Psal. 132. enarratio.*

Melius est non vovere, quàm vovere & non reddere.

Tam sunt Monachi falsi, quàm & Clerici falsi, & fideles falsi.

Noli gloriari quia lingua benedicis, si vita maledicis. Quomodo, inquis, vita maledico? Quia attenditur vita tua, & dicitur: Ecce Christianus, ecce quales sunt Christiani. Blasphematur propter te *In Psal. 133. enarratio.*

Christus: ecce cum vita tua maledicat, quid prodest quod lingua tua maledicit?

In Psal. 134. enarratio. Omnipotens (Deus) est & ad consolandum & ad castigandum.

Deus nec melior, si laudaveris; nec deterior, si vituperaveris: sed tu laudando bonum, melior eris; vituperando, deterior. Bonus autem ille manet ut est: sed quoniam nobis expedit laudare Dominum, misericorditer jubet ut laudemus eum, non arroganter.

Bonus Dominus, sed bonus non ut sunt bona quæ fecit: Nam fecit *Genes. 1* Deus omnia *bona valde*, non tantum bona, sed & valde. Cælum & terram, & omnia quæ in eis sunt bona fecit, & valde bona fecit. Si hæc omnia bona fecit, qualis est ille qui fecit? Et tamen cum bona fecerit, multoque sit melior qui fecit quàm ista quæ fecit, non invenies melius quod de illo dicas, nisi quia bonus est Dominus: si tamen intelligas proprie bonum à quo sunt cætera bona. Omnia

enim bona ipſe fecit: ipſe eſt bonus quem nemo fecit. Ille bono ſuo bonus eſt, non aliunde participato bono: ille à ſeipſo bono bonus eſt, non adhærendo alteri bono: *Mihi autem adhærere Deo bonum eſt,* qui non eguit à quo fieret bonus, ſed eguerunt illo cætera ut fierent bona. Ineffabili dulcedine teneor cum audio, bonus Dominus: conſideratiſque omnibus & colluſtratis quæ forinſecus video quoniam ab ipſo ſunt omnia, etiam cum mihi hæc placent, redeo à quo ſunt, ut intelligam quoniam bonus eſt Dominus. Rurſum cum ad illum quantum poſſum ingreſſus fuero, interiorem & ſuperiorem invenio; quia ſic bonus eſt Dominus, ut iſtis non indigeat quo ſit bonus. Denique iſta non laudo ſine illo: illum autem ſine iſtis perfectum, non indigum, incommutabilem, nullius bonum quærentem quo augeatur, nullius malum timentem quo minuatur, invenio. *Pſal. 72.*

Non poteras ad Deum homo, Deus factus est homo, ut quoniam homo potes ad hominem, qui non posses ad Deum, per hominem venires ad Deum: & factus est *Mediator Dei & hominum homo Christus Iesus*. Sed si homo solum esset, hoc sequendo quod es, nunquam pervenires. Si Deus solum esset, non comprehendendo quod non es, nunquam pervenires. Deus factus est homo, ut hominem sequendo quod potes, ad Deum pervenias, quod non poteras.

Non omnia quæ fecit (Deus) coactus est facere, sed omnia quæcumque voluit, fecit. Causa omnium quæ fecit, voluntas ejus est. Facis tu domum, quam si nolles facere, sine habitatione remaneres. Necessitas coëgit te facere domum, non libera voluntas. Facis vestem, quia si non faceres, nudus ambulares. Ad faciendam ergo vestem necessitate duceris, non libera voluntate. Conseris montem vitibus, semen spargis, quia nisi

feceris

quiſque Hieruſalem cæleſtis fit civis idoneus, cum primum huic ſeculo renuntiarit: quemadmodum ille populus in terram promiſſionis duci non potuit, niſi prius ab Ægypto recederet. Sed ſicut ille non inde diſceſſit, niſi divino liberatus auxilio; ſic nemo corde ab hoc ſeculo avertitur, niſi divinæ miſericordiæ munere adjutus.

Non pœnalis, ſed ſalutaris dolor eſt, quem ſecando Medicus facit. *In Pſal. 114. enarr.*

Non perfecte credunt, qui quod credunt loqui nolunt. *In Pſal. 115. enarr.*

Qui exhortatur, id agit ut excitetur voluntas ejus cum quo agit ad illud propter quod exhortationis adhibetur alloquium. *Concio 1 in Pſ. 118.*

Beatum eſſe tam magnum eſt bonum, ut hoc & boni velint & mali.

Quid tibi prodeſt humile eſſe quod dicis, ſi Deus videt altum eſſe quod ſapis? *Concio 2. in Pſ. 118.*

Utrumque dixit (Apoſtolus Paulus): *Et non quod volo ago, & non* *Concio 3. in Pſ. 118.*

Rom. 7. *ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum.* Unde intelligere debemus, quando peccatum quod habitat in nobis, operatur in nobis, nos id operari non quando nequaquam ei voluntas nostra consentit, & tenet etiam corporis membra, ut non obediant desideriis ejus: quid enim operatur peccatum nolentibus nobis, nisi sola illicita desideria, quibus si voluntati non adhibeatur assensus, movetur quidem nonnullus affectus, sed nullus ei relaxatur effectus. Hoc præcipit idem Apostolus, ubi dicit: *Non ergo regnet peccatum in vestro mortali corpore ad obediendum desideriis ejus, nec exhibeatis membra vestra arma iniquitatis peccato.* Sunt itaque desideria quibus nos prohibuit obedire. Operantur ergo peccatum hæc desideria, quibus si obedimus & nos operamur. Si autem obtemperantes Apostolo non obedimus eis, non illud nos operamur, sed quod in nobis habitat peccatum: si au-

Rom. 6.

tem desideria nulla haberemus illicita, nec nos, nec peccatum mali aliquid operaretur in nobis. Motum porro illiciti desiderij, cui non obediendo non eum nos operamur, ideo & nos agere dicimur, quoniam non est naturæ vigor alienæ, sed langor est nostræ. A quo langore omnimodo salvi erimus, cum & animo & corpore immortales facti fuerimus.

Indebita Dei misericordia sanatur debita nostra miseria. *Concio 5 in Ps. 118.*

Omnis homo est omni homini proximus, nec ulla cogitanda est longinquitas generis, ubi est natura communis. *Concio 6. in Ps. 118.*

Quomodo diligit proximum tanquam seipsum, qui nescit & seipsum?

Ut sciamus diligere Deum, sciendus est Deus: & ut sciat homo diligere proximum tanquam seipsum, prius debet diligendo Deum, diligere seipsum.

Sæpe quid agendum sit videmus, nec agimus; quia non delectat ut

agamus, & concupimus ut delectet.

Concio 9. in Ps. 118. Aliud eſt mandata Dei per infirmitatem vel per ignorantiam non implere, aliud ab eis per ſuperbiam declinare.

Concio 11. in Pſ. 118. Deum non colamus niſi propter Deum, ut ſui cultus ipſe ſit merces. Ipſum diligamus & in ſeipſo, ipſum diligamus & in nobis, ipſum diligamus & in proximis noſtris.

Qui timore pœnæ, non amore Juſtitiæ, opus legis facit, profecto invitus facit. Quod autem invitus facit, ſi poſſet fieri, mallet utique non juberi: ac per hoc legis quam vellet non eſſe, non eſt amicus, ſed potius inimicus: nec mundatur opere, qui immundus eſt cogitatione & voluntate.

Et ipſum velle Deus operatur in omnibus bonis: præparatur enim voluntas à Domino.

Concio 13. in Pſ. 118. Et Deum plenius, cum viderimus, amabimus, & proximum: quia Deus erit omnia in omnibus, nec falſæ cuiquam de proximo ſuſpi-

cioni erit locus, ubi nullus ulli erit occultus.

Sicut Deum pœnitere dicitur, quando præter hominum ſpem res mutat conſilio non mutato: quia conſilium Domini manet in æternum: ita dicitur oblivíſci, quando tardare videtur adjutorium vel promiſſum, vel non retribuere digna peccantibus, vel ſi quid hujuſmodi, tanquam ejus memoria ſit elapſum quod ſperatur vel timetur, & non fit. Dicuntur iſta locutione morali, qua humanus movetur affectus: quamvis hæc Deus faciat certa diſpoſitione, non deficiente memoria, nec obſcurata intelligentia, nec voluntate mutata. *Concio 15. in Pſ. 1.8.*

Cum quo Deus facit ſuavitatem, id eſt, cui propitius inſpirat boni delectationem, atque ut apertius id explicem, cui donatur à Deo charitas Dei, & propter Deum charitas proximi, profecto inſtanter orare debet quo tantum ſibi augeatur hoc donum, ut non ſolum *Concio 17. in Pſal. 118.*

pro illo contemnat delectationes cæteras, sed etiam pro illo quaslibet perferat passiones.

Si magnitudine sua præcedit scientia magnitudinem charitatis, non ædificat, sed inflat.

Alia sunt quæ ideo discimus, ut tantummodo sciamus: alia vero, ut tantummodo faciamus.

Concio 20. in Ps. 118. Prima tempora Ecclesiæ ante Virginis partum Sanctos habuerunt qui desiderarent Incarnationis ejus adventum: ista vero tempora ex quo ascendit in cælum, Sanctos habent qui desiderent ejus manifestationem ad vivos & mortuos judicandos. Neque hoc Ecclesiæ desiderium ab initio usque in finem seculi requievit aliquantum, nisi quamdiu hîc cum Discipulis in carne conversatus est.

Concio 22. in Ps. 118. Vnde fieri potest ut diligatur quod Deus jubet diligi, & ipsa jussio non diligatur? Ipsa est enim lex.

Concio 24. in Ps. 118. Omnia opera vel mala vel bona à cogitatione procedunt.

Timor iste quo non amatur justitia, sed timetur pœna, servilis est, quia carnalis est, & ideo non crucifigit carnem: vivit enim peccandi voluntas, quæ tunc apparet in opere, quando speratur impunitas: cum vero pœna creditur secutura, latenter vivit, vivit tamen: mallet enim licere, & dolet non licere quod lex vetat: quia non spiritualiter delectatur ejus bono, sed carnaliter malum metuit quod minatur. Timore autem casto ipsa, quæ hunc timorem foras mittit, peccare timet charitas, etiamsi sequatur impunitas: quia nec impunitatem judicat secuturam, quando amore justitiæ pecatum ipsum deputat pœnam. *Concio 25. in Ps. 118.*

Non qui spiritu suo aguntur, sed quotquot spiritu Dei aguntur, hi sunt filij Dei: non quia ipsi nihil agunt, sed ne nihil boni agant, à bono aguntur ut agant. *Concio 27. in Ps. 118.*

Vbi Deus iudex est, nullus falso crimine læditur.

Quamvis Deus doceat intrinse- *Concio*

32. *in Ps. 118.* cus, tamen fides ex auditu eſt.

In Pſal. 119. *enarratio.* Multum intereſt inter deſcendere & cadere: nam quia cecidit Adam, ideo deſcendit Chriſtus: ille cecidit, ille deſcendit: ille cecidit ſuperbia, ille deſcendit miſericordia.

Sagittæ potentis acutæ, verba Dei ſunt. Ecce jaciuntur & transfigunt corda: ſed cum transfixa ſuerint corda ſagittis verbis Dei, amor excitatur, non interitus comparatur. Novit Dominus ſagittare ad amorem: & nemo pulchrius ſagittat ad amorem, quàm qui vere verbo ſagittat: imo ſagittat cor amantis, ut adjuvet amantem: ſagittat ut faciat amantem.

Aliquando, fratres mei, cum peregrinatur homo, inter meliores vivit quàm in patria ſua forte viveret: ſed non ſic eſt, quando de illa Hieruſalem cæleſti peregrinamur: mutat enim homo patriam, & aliquando in peregrinatione illi bene eſt. Invenit amicos fideles peregrinando, quos in patria inve-

nire non potuit. Inimicos habuit ut de patria pelleretur, & cum peregrinaretur, invenit quod non habebat in patria. Non ſic eſt patria illa Hieruſalem, ubi omnes boni. Quicumque inde peregrinatur, inter malos eſt, nec recedere à malis poteſt, niſi cum redierit ad patriã, ut ibi ſit unde peregrinatur.

Si amaveris terram, peregrinaris à Deo: ſi amaveris Deum, aſcendis ad Deum.

Non eſt dimittenda unitas, non eſt præcidenda eccleſia Dei. Judicabit Deus de malis & bonis poſtea. Si nunc mali à bonis ſeparari non poſſunt, ferendi ſunt ad tempus mali. In area nobiſcum eſſe poſſunt, in horreo non poſſunt. Et forte hodie qui mali apparent, cras boni erunt: & qui de bonitate hodie ſuperbiunt, cras mali invenientur. Quiſquis ergo humiliter malos ad tempus fert, ipſe perveniet ad requiem ſempiternam. Hęc vox catholica eſt.

Aſcenſus utilis nobis non poteſt *In Pſ. 120.*

enarratio. esse, nisi primo humilitate à convalle plorationis nobis ascendendum esse meminerimus.

Ecclesia propter Deum, in Deo proximus diligitur, Deus autem propter Deum.

Si sic sunt homines justi sicut vasa figuli, necesse est ut vasa fornacem intrent: & non quando intrant jam securus est figulus, sed cum exierint. Dominus autem securus est, quia novit qui sunt ejus, novit qui in fornace non crepent.

De convalle plorationis ascendimus, non remaneamus in via. Gradus in via restant, non debemus pigri remanere, non debemus superbi cadere.

In Psal. 121. *enarratio.* Obligata anima amore terreno, quasi viscum habet in pennis, volare non potest.

Sicut amor immundus inflammat animam, & ad terrena concupiscenda & peritura sectanda vocat, & in ima præcipitat atque in profunda demergit. Sic amor sanctus ad superna elevat, & ad æterna

inflammat, & ad quæ non transeunt neque moriuntur excitat animam, & de profundo inferni levat ad cælum.

Habet omnis amor vim suam, nec potest vacare amor in animam amantis: necesse est ut ducat. Sed vis nosse qualis amor sit? Vide quo ducat.

Magnificentius exprimi non potuit fortitudo charitatis, quàm ut diceret: *Valida est sicut mors dilectio.* Quis enim resistit morti? Resistitur ignibus, undis, ferro: resistitur potestatibus, resistitur Regibus. Venit una mors, quis ei resistit? Nihil est illa fortius. Propterea viribus ejus charitas comparata est, & dictum est: *Valida est sicut mors dilectio.* Et quia & ipsa charitas occidit quod fuimus, ut simus quod non eramus, facit in nobis quandam mortem dilectio. Ipsa morte mortuus erat qui dicebat: *Mundus mihi crucifixus est, & ego mundo.* Ipsa morte mortui erant quibus dicebat: *Mortui enim*

Cant. 8

Gal. 6.

Coloss. 3.

eſtis, & vita veſtra abſcondita eſt cum Chriſto in Deo.

In Pſal. 122. enarratio. Omnis amor aut aſcendit aut deſcendit: deſiderio enim bono levamur ad Deum, & deſiderio malo ad ima præcipitamur.

Omnis ſuperbus ſe attendit, & magnus ſibi videtur qui ſibi placet: ſed qui ſibi placet, ſtulto homini placet; quia ille ipſe ſtultus eſt, cum ſibi placet ſolus.

Solus ſecurus placet, qui Deo placet. Et quis eſt qui placet Deo? Cui placuerit Deus. Diſplicere ſibi Deus non poteſt. Placeat & tibi, ut placeas illi: ſed tibi ille placere non poterit, niſi tu tibi diſplicueris.

Peccatum tuum ſit ante te, ut non ſit ante Deum.

Quomodo volumus ut non à nobis avertat faciem ſuam Deus, ſic volumus ut avertat faciem ſuam à peccatis noſtris. nam utrumque illi cantatur in Pſalmis: *Non avertas faciem tuam à me.* Vox eſt Pſalmi, vox eſt ergo noſtra. Et ille qui di-

cit, *Ne avertas faciem tuam à me:* vide quid dicat alio loco, *Avertas faciem tuam à peccatis meis.* Si vis ut avertat faciem ſuam à peccatis tuis, tu ipſe à te averte faciem tuam, & à peccatis tuis noli avertere: ſi enim non averteris ab eis faciem tuam, tu ipſe iraſceris peccatis tuis. Si autem tu non avertis faciem tuam à peccatis tuis, tu agnoſcis, & ille ignoſcit.

Aliter nos habitamus in domo, aliter Deus in Sanctis. Tu habitas in domo: ſi ſubtracta fuerit, cadis. Deus autem ſic habitat in Sanctis, ut ſi ipſe diſceſſerit, ipſi cadant. Quicumque ergo ſic portat Deum, ut ſit templum Dei; non putet ſic à ſe portari Deum, ut terreat Deum ſi ſe ſubducat. Væ illi ſi ſe ſubtraxerit Deus quia ipſe cadit: nam Deus in ſe permanet. In quibus nos habitamus, ipſa nos continent: in quibus Deus habitat, ipſe illos continet.

Dicitur aliquando virgini jam deſponſatæ, nondum nuptæ, &

juſte dicitur: Noli amare: cum facta fueris uxor, tunc ama, recte dicitur; quia præproperum & præpoſterum deſiderium eſt, & non caſtum, amare eum cui neſcit an nubat: poteſt enim fieri ut alius ſponſet, & alius ducat uxorem.

Nihil eſt infirmius anima noſtra, poſita in mediis tentationibus ſeculi, in mediis gemitibus & parturitionibus moleſtiarum, nihil ea infirmius donec hæreat ſoliditati cæleſti, & ſit in templo Dei, unde jam non cadat.

Chriſtianus homo non debet abundare, ſed pauperem ſe debet cognoſcere: & ſi habet divitias, ſcire debet quia non ſunt illæ veræ divitiæ, ut alias deſideret; qui enim falſas divitias deſiderat, veras non quærit: qui autem veras quærit, adhuc pauper eſt, & recte dicit:
Pſal 68 *Pauper & dolens ego ſum.*

In Pſal. 123. enarratio. In Chriſto membra Chriſti cum Chriſto unum faciunt, & horum omnium membrorum caput in cælo eſt. Corpus autem etiamſi la-

borat in terra, non eſt præciſum à capite ſuo: deſuper enim caput proſpicit & conſulit corpori. Nam ſi non conſuleret, non diceret illi perſecutori adhuc Saulo, nondum Paulo: *Saule, Saule, quid me perſequeris?* *Act.8.*

In Eccleſiæ corpus nemo intrat, niſi prius occiſus. Moritur quod fuit, ut ſit quod non fuit.

Dulcedo hujus ſeculi ad tempus fauces indulcat, ſed in magnam amaritudinem poſtea convertetur.

Lucra tua cogitas, damna tua non cogitas. De arca gaudes, & de corde non plangis.

Vis habere rectum cor? Tu fac quod vult Deus: noli Deum velle facere quod vis tu. *In Pſal. 124. enarratio.*

Fecit Deus pauperem ut probet hominem: & fecit Deus divitem ut probet illum de paupere.

Non fecerunt hæreſes, niſi magni homines.

Sunt domini, ſunt & ſervi. Diverſa ſunt nomina, dominus, ſervus: ſed homines & homines paria

fecetis alimenta non habebis. Omnia hæc necessitate facis. Deus bonitate fecit, & nullo quod fecit eguit. Iustis & Sanctis Dei placuit Deus etiam flagellans eos. Quando iniquis omnibus displicet, placuit illis: & sub flagello ejus, in ærumnis, in laboribus, in vulneribus, in egestate constituti laudaverunt Deum. Non eis displicuit nec torquens. Hoc est gratis amare, non quasi proposita acceptione mercedis, quia ipsa merces tua summa Deus ipse erit, quem gratis diligis: & sic amare debes ut ipsum pro mercede desiderare non desinas, qui solus te satiet, sicut Philippus desiderabat cum diceret: *Ostende nobis Patrem, & sufficit nobis.* *Ioan.* 14.

Latet cor bonum, latet cor malum: abyssus est & in corde bono, & in corde malo. Sed hæc nuda sunt Deo, quem nihil latet.

Consolatur cor bonum, torquet cor malum.

Omnes carnales spiritualibus *In Psal.*

36. enarrat. inimici sunt.

Si vultis armati esse contra tentationes in seculo, crescat & roboretur desiderium Hierusalem æternæ in cordibus vestris.

In Psal. 137. enarrat. Totum cor meum (Domine) flamma tui amoris accendat. Nihil in me relinquatur mihi, nec quo respiciam ad meipsum : sed totus in te æstuem, totus in te ardeam, totus diligam te, tanquam inflammatus abs te.

Longe te à Deo non facit nisi iniquitas sola.

Unde Deus miscet tribulationes gaudijs terrenis, nisi ut tribulationem sentientes & amaritudinem, discamus æternam desiderare dulcedinem?

Ps. 115. *Tribulationem & dolorem inveni.* Quid magnum si tribulatio te inveniat? Si aliquid potes tu, inveni tribulationem. Et quis es, inquis, qui inveniat tribulationem? Aut quis illam vel quærat? In medio tribulationis es, & nescis? Vita ista parva tribulatio est?

Si non eſt tribulatio, non eſt peregrinatio. Si autem peregrinatio eſt, aut parum patriam diligis, aut ſine dubio tribularis. Quis enim non tribuletur non ſe eſſe cum eo quod deſiderat? Sed unde tibi non videtur iſta tribulatio? Quia non amas. Ama alterum vitam, & videbis quia iſta vita tribulatio eſt, quacumque proſperitate fulgeat, quibuſlibet delicijs abundet, atque circumfloreat. Quando nondum eſt illud gaudium ſine ulla tentatione certiſſimum, quod nobis in fine ſervat Deus, ſine dubio tribulatio eſt.

Securi odimus in malis malitiam, & diligimus naturam & creaturam: ut quod ibi fecit Deus amemus, quod ibi fecit ipſe homo oderimus. Fecit enim Deus ipſum hominem, fecit autem homo peccatum. *In Pſal. 139. enarrat.*

Nemo invidet alteri in eo quod non vult vel eſſe vel videri. Alius tibi invidet quia dives es, aut dives vult eſſe ut tibi invideat, aut

putari vult dives. Alius tibi invidet, quia clarus es & nobilis, aut hoc esse affectat, aut hoc se putari cupit.

In Psal. 141. enarrat. *Matt. 6.* *Tu autem cum oras intra in cubiculum tuum, & claude ostium.* Claude ostium tuum ne tentator ingrediatur. Tentator non cessat pulsare ut irrumpat: si clausum invenerit, transit. Ideo Apostolus, quia in nostra potestate est ostium claudere, ostium cordis, non parietum, ibi enim & periculum: quia ergo in nostra potestate est hoc ostium claudere: *Ephes. 4.* *Neque detis*, inquit, *locum Diabolo.* Etenim si intravit & possidet, attende quia tu negligenter clausisti, aut claudere neglexisti. Quid est autem claudere ostium? Hoc ostium tanquam duas habet valvas cupiditatis & timoris. Aut cupis aliquid terrenum, & hoc intrat: aut times aliquid terrenum, & hac intrat. Timoris ergo & cupiditatis januam claude contra Diabolum, aperi ad Christum,

Quomodo ipſas valvas aperis ad Chriſtum? Cupiendo regnum cælorum, timendo ignem gehennarum. Per cupiditatem ſeculi Diabolus intrat: per deſiderium vitæ æternæ Chriſtus intrat. Per timorem pœnarum temporalium Diabolus intrat: per timorem ignis æterni Chriſtus intrat. Ecce Martyres clauſerunt januam contra Diabolum, Chriſto aperuerunt. Promiſit eis multa mundus iſte: riſerunt, clauſerunt valvam cupitatis adverſus Diabolum. Minatus eſt mundus iſte beſtias, ignes, crucis: non timuerunt, clauſerunt timoris valvam contra Diabolum. Videamus ſi aperuerunt illas Chriſto: *Qui confeſſus* *me*, inquit, *fuerit coram hominibus, confitebor illum & ego coram Patre meo qui eſt cælis.* Amaverunt ergo regnum cælorum, ubi confitebitur Chriſtus. Videamus ſi timoris valvam Chriſto aperuerunt quam Diabolo clauſerunt. Uno eodemque loco Dominus Matth. 10.

monet hoc, ut & Diabolo claudatur, & sibi aperiatur. *Nolite,* inquit, *timere eos qui corpus occidunt, animam autem non possunt occidere.* Monuit ut timoris valva in faciem Diabolo elideretur. Ergo nihil est timendum? Non ergo aperitur aditus timoris Christo, qui clausus est Diabolo? statim subjecit tanquam dicens: Exclusisti illum, aperi mihi. *Sed eum timete,* inquit, *qui habet potestatem animam & corpus occidere in gehenna ignis.*

Matth. 10.

Beati pauperes spiritu suo, divites Spiritu Dei.

Omnis homo qui spiritum suum sequitur, superbus est. Subdat spiritum suum, ut capiat Spiritum Dei.

Nihil excellentius est via charitatis, & non in illa ambulant nisi humiles.

Nihil est superbius ægro, qui deridet medicamentum suum.

Ioan. 1. *In hoc mundo erat, & mundus per ipsum factus est, & mundus*

eum non cognovit. Audiſtis duos mundos: *Mundus per eum factus eſt: mundus eum non cognovit.* Non mundus qui factus eſt per Jeſum, ab illis principibus & poteſtatibus tenebrarum harum regitur, ſed mundus qui non cognovit Jeſum, id eſt dilectores mundi, peccatores, & iniqui, ſuperbi & infideles. Unde mundus peccatores? Quia diligunt mundum, & diligendo inhabitant mundum, quomodo domus dicitur & fabrica & inhabitantes. Bona domus plerumque, bona fabrica: & bona domus, quia boni converſantur in ea. Et cave domum iſtam quia mala eſt. Duobus modis dicitur: mala eſt domus hæc, cave forte propter ruinam, ne aliquid cadat, & te premat. Dicitur & ſic alio modo quemadmodum, cave domum iſtam tam malam, ne incurras in laqueum venantium, ne pauper opprimaris à divite, ne fraudem aliquam patiaris. Quomodo ergo domus & domus, ſic mun-

dus & mundus. Quare enim & justi cum sint & ipsi in mundo, non dicuntur mundus? Quid dicit Apostolus? *In carne autem ambulantes, non secundum carnem militamus: conversatio enim nostra in cælis est.* Habitat hîc justus in carne, sed corde cum Deo est. Quorum autem vita hîc est, idest, quorum desiderium & amor hîc hæret, hîc conteritur, hîc implicatur, bene dicuntur habitatores mundi. Et bene dicuntur mundus illi qui habitant in mundo: sicut bene dicuntur domus illi qui inhabitant domum. Mundus ergo, & mundus: mundus per eum factus est, & mundus eum non cognovit. Ecce mundus qui factus est per Dominum, ecce mundus qui non cognovit Dominum. Lauda tu fabricam, & ama fabricatorem: & noli amare habitare in fabrica, sed habita in fabricatore.

Quid quæro ut vestias, quando adhuc expolias? Quid quæro ut

dones quando adhuc rapis ? Non ſub te ploret primo pauper, ut gaudeat de te pauper.

Non tentat Diabolus vel Angeli ejus, niſi quod in te carnaliter dominatur. *In Pſal. 143. enarrat.*

Habes contra quod pugnes in te, habes quod expugnes in te. Sed habes quem invoces, ut pugnantem adjuvet te, & vincentem coronet te, qui non exiſtentem fecit te.

Caro tua, conjux tua, famula tua. Quodlibet deputa, opus eſt ut ſubjicias, & ſi pugnas, ut proſit pugna. Hoc enim expedit inferius ſubjici inferiori: ut & ille qui ſibi ſubjici vult quod eſt inferius, ſe ſubjiciat ſuperiori tuo. Agnoſce ordinem, tu Deo, tibi caro. Quid juſtius ? Quid pulcrius? Tu majori, minor tibi. Servi tu ei qui fecit te, ut tibi ſerviat quod factum eſt propter te. Non enim hunc ordinem novimus, neque hunc ordinem commendavimus: tibi caro, & tu Deo; ſed tu

inter omnia. Proinde si laudes opera Dei, & te laudaturus es: quia & tu opus Dei es. Ubi est ergo. *Non te laudet os tuum?* Ecce inventum est quomodo & te laudare possis, & arrogans non sis. Deum in te lauda, non te: non quia tu es talis, sed quia ille fecit te: non quia tu aliquid potes, sed quia potest ille in te & per te. *Prou.* 27.

Tempus electionis nunc est, acceptionis postea erit.

Cui debemus quia sumus, illi debemus quia & iustificati sumus. Nemo quasi tribuat Deo quia est, & sibi tribuat quia iustus est. Melius est enim quod tibi vis tribuere, quàm quod illi. Melius est enim aliquid esse quia iustus es, quàm quia homo es.

Magna (Dei) misericordia & in hoc quod diem vitæ tibi incertum fecit, ut nescias quando hinc emigrabis, & cum quotidie speras te migrare, aliquando convertaris. *Eius.*

Et spes & desperatio timenda est:

in peccatis. Videte vocem desperantis ad augenda peccata, & videte vocem sperantis ad augenda peccata: & quomodo utrique voci occurrit providentia & misericordia Dei. Audi vocem desperantis: Jam, inquit, damnandus sum, quare non facio quicquid volo? Audi & vocem sperantis: Misericordia Domini magna est, quando me convertero dimittet mihi omnia. Quare non facio quicquid volo? Desperat ut peccet: sperat ut peccet. Utrumque metuendum est, utrumque periculosum. Væ à desperatione, væ à perversa spe. Utrique huic periculo & utrique malo quomodo occurrit misericordia Dei? Quid dicis tu qui desperando volebas peccare? Iam damnandus sum, quare non facio quicquid volo? Audi scripturam: *Nolo mortem impij, tantum ut revertatur & vivat.* Hac voce Dei reducitur in spem; sed timendus est alius laqueus ne ipsa spe amplius peccet.

Ezech. 33.

Quid ergo & tu dicebas, qui ſpe magis peccas? Quando me convertero, omnia mihi Deus dimittet, faciam quicquid volo. Audi & tu Scripturam: *Non tardes converti ad Dominum, neque differas de die in diem: ſubito enim veniet ira illius, & in tempore vindictæ diſperdet te.* Noli ergo dicere: Cras me convertam, cras Deo placebo, & omnia hodierna & heſterna dimittuntur mihi. Verum quidem dicis quia Deus converſioni tuæ indulgentiam promiſit, ſed dilationi tuæ diem craſtinum non promiſit. Eccleſ. 5.

Prorſus (Domine) tanquam reficiens ægrotum in opportunitate, quando debet accipere tunc das, & quod debet accipere, hoc das.

Tunc eris rectus, cum in omnibus bonis quæ facit Deus tibi placet: in omnibus malis quæ pateris Deus tibi non diſplicet.

Medicus ſi forte aliquid imponat vel oculo vel viſceribus quod urendo ſanet, ſi roget æger ut tol-

latur illi, Medicus expectat tempus, non facit quod rogat æger, non tamen recedit. Et prope est, & non facit, & ideo magis non facit, quia prope est: curando enim imposuit quod imposuit, & curando non facit quod rogatur. Non te exaudit ad præsentem voluntatem, exaudiendo ad futuram sanitatem: & hoc utique ad voluntatem: nam utique sanus esse vult, etiam qui uri non vult.

In Psal. 145. enarratio. Deliciæ spiritus nostri divina cantica, ubi & fletus sine gaudio non est.

Fideli homini & peregrino in seculo, nulla est jucundior recordatio, quàm civitatis illius unde peregrinatur: sed recordatio civitatis in peregrinatione non est sine dolore atque suspirio.

Qui ut nobiscum esset descendit ad nos, facit ut cum illo possimus ascendere ad se,

Accepit homo corpus tanquam in famulatum, Deum autem Dominum habens, corpus servum,

habens ſupra ſe conditorem, infra ſe quod ſub illo conditum eſt: in medio quodam loco rationalis anima conſtituta, legem accepit, hærere ſuperiori, regere inferiorem. Regere non poteſt inferiorem, niſi regatur à meliore.

Quicquid juſte pateris, non eſt injuria. Latrones multa patiuntur, ſed non injuriam. Scelerati, malefici, effractores, adulteri, corruptores, omnes patiuntur multa mala, ſed nulla eſt injuria. Aliud eſt pati injuriam, aliud eſt pati tribulationem, aut pœnam, aut moleſtiam, aut ſupplicium. Conſidera ubi ſis, quid egeris vide, quare patiaris vide, & ibi vides quid patiaris. Ius & injuria contraria ſunt: jus enim eſt quod juſtum eſt. Vide quid feceris, non quid patiaris. Si jus feciſti, injuriam pateris: ſi injuriam feciſti, jus pateris.

Medicus perfecta ſanitate detrahit ligaturam. *In Pſal. 146. enarratio.*

Beatus qui intelligit ſuper egenum & pauperem. Qui intelligit ſuper

egenum & pauperem, non expectat ut petat. Alius te quærit indigens, alium tu debes quærere indigentem. Utrumque dictum est:
Luc. 6. *Et omni petenti te da. Sudet eleemosyna in manu tua quousque invenias justum, cui eam tradas.*

Sic time Dominum, ut speres in misericordia ejus. Si times latronem, ab alio speras auxilium, & non ab eo quem times: si sic times, poscis auxilium ab eo quem non times adversus eum quem times: si sic times Deum, & ideo times Deum, quia peccator es, à quo accepturus es auxilium adversus Deum? Quo iturus es? Quid facturus? Vis ab illo fugere? Ad ipsum fuge. Vis fugere ab irato? Fuge ad placatum: placabis enim eum si speres in misericordia ipsius, atque ita de cætero peccare caveas, ut de præteritis depreceris, ut tibi dimittantur à Domino.

In Psal. 147. enarratio. Si amamus Christum, utique adventum eius desiderare debemus: perversum enim est, & nescio

utrum

utrum verum quem diligis, timere ne veniat: orare, *Veniat regnum tuum*, & timere ne exaudiaris. Unde autem timor? Quia Judex venturus est? Nunquid injustus? Nunquid malevolus? Nunquid postremo ab altero expectans nosse causam tuam, ne forte ille quem instruxisti vel prævaricatione te decipiat, vel minori facundia & facultate deficiens innocentiæ tuæ bonum verbis demonstrare non possit? Nihil horum. Quis ergo venturus est? Quare non gaudes? Quis venturus es judicare te, nisi qui venit judicari propter te? Non timeas accusatorem, de quo ipse dixit: *Princeps hujus mundi missus est foras*. Non timeas malum advocatum; ille enim tibi modo advocatus est, qui tunc Judex futurus est. Ille erit & tu & tua causa, sermo causæ tuæ, testimonium conscientiæ tuæ. Quisquis ergo futurum Judicem times, præsentem conscientiam tuam modo corrige.

Quomodo præpostera securitas

in terrores impellit, ita ordinata sollicitudo securitatem parit.

Paucorum est virginitas in carne, omnium debet esse in corde. Virginitas carnis, corpus intactum; virginitas cordis, fides incorrupta.

Si justitia sine misericordia prolata fuerit, in quolibet quod damnet inveniet.

Multa superflua habemus, si non nisi necessaria teneamus: nam si inania quæramus, nihil sufficit.

Superflua divitum, necessaria sunt pauperum.

Res alienæ possidentur, cum superflua possidentur.

Erogari sibi vult Deus ex illo quod dedit: quid enim das, quod ille non dedit? *Quid enim habes quod non accepisti?* Aut vero non dico Deo, sed cuilibet de tuo das aliquid? De illius das, qui jubet ut des.

Necesse est ut plus homo gaudeat, cum venerit quod desperaverat.

Velocitas fervens eſt, & omnia ferventiora velociora, omnia frigidiora tardiora.

Quare vix tenemus quod facile amiſimus? Ne facile recipiendo, diſcamus perdere quod tenemus. Laboret homo ut teneat, tenebit ad firmitatem quod tenuerit poſt laborem.

Meditatio præſentis vitæ noſtræ in laude Dei eſſe debet, quia exultatio ſempiterna futuræ noſtræ vitæ laus Dei erit. Et nemo poteſt idoneus fieri futuræ vitæ, qui ſe ad illam modo non exercuerit. *In Pſal. 148. enarratio.*

Paſſio Domini oſtendit nobis vitam præſentis neceſſitatis, qua oportet & laborare, & tribulari, & ad extremum mori. Reſurrectio vero & clarificatio Domini oſtendit nobis vitam quam accepturi ſumus, cum venerit retribuere digna dignis, mala malis, bona bonis.

Qui donavit impiis mortem ſuam, quid ſervat juſtis niſi vitam ſuam?

Quid tibi promisit Deus, ó homo mortalis? Quia victurus es in æternum. Non credis? Crede, crede. Plus est jam quod fecit, quàm quod promisit. Quid fecit? Mortuus est pro te. Quid promisit? Ut vivas cum illo. Incredibilius est quod mortuus est æternus, quàm ut in æternum vivat mortalis. Jam quod incredibilius est, tenemus. Si propter hominem mortuus est Deus, non est victurus homo cum Deo? Non est victurus mortalis in æternum, propter quem mortuus est qui vivit in æternum?

Quia ipse fecit omnia, & melius illo nihil est, quicquid fecit, infra illum est: & quicquid in his tibi placet, minus est quàm ipse. Non ergo ita tibi placeat quod fecit, ut recedas ab eo qui fecit. Sed si amas quod fecit, multo magis eum qui fecit. Si pulchra sunt quæ fecit, quanto magis pulchrior est qui fecit?

In Psal. 149. enarr. Inveteravit homo per peccatum, innovatur per gratiam.

Christus nunquam vincitur, & Diabolum vicit, & pro te vicit, & tibi vicit, & in te vicit.

Oculus in conscientiam non penetrat.

Filius Dei qui fecit nos, factus est inter nos: & Rex noster regit nos, quia Creator noster fecit nos. Ipse est tamen per quem facti sumus, qui est per quem regimur, & ideo Christiani, quia ille Christus. Christus à chrismate dictus est, id est, ab unctione. Reges autem ungebantur & Sacerdotes: ille vero unctus est & Rex & Sacerdos: Rex pugnavit pro nobis, Sacerdos obtulit se pro nobis. Quando pugnavit pro nobis, quasi victus est, vere autem vicit: crucifixus est enim, & de cruce sua in qua erat fixus, Diabolum occidit, & inde Rex noster. Unde autem Sacerdos? Quia se pro nobis obtulit. Date Sacerdoti quod offerat. Quid inveniret homo quod daret? Mundam victimam. Quam victimam? Quid mundum potest offerre pec-

cator? O inique, ô impie, quicquid attuleris immundum eſt, & aliquid mundum pro te offerendum eſt. Quære apud te quid offeras, non invenies: quære ex te quid offeras, non delectatur arietibus, nec hircis, nec tauris. Omnia ipſius ſunt, etſi non offeras: Offer ergo illi mundum ſacrificium. Sed peccator es, impius es, ſed conſcientiam inquinatam habes. Poteris forte aliquid offerre purgatus: ſed ut purgeris, aliquid pro te offerendum eſt. Quid ergo pro te oblaturus es ut munderis? Si mundatus es, poteris offerre quod mundum eſt. Offerat ergo ſeipſum mundus Sacerdos, & mundet, hoc eſt quod fecit Chriſtus. Nihil mundum invenit in hominibus quod offerret pro hominibus: ſeipſum obtulit mundam victimam, hoſtiam immaculatam. Felix victima, vera victima, munda victima, hoſtia immaculata. Non ergo hoc obtulit quod nos illi dedimus: imo hoc obtulit quod à nobis accepit, &

mundum obtulit. Carnem enim à nobis accepit, hanc obtulit. Sed unde illam accepit? De utero Virginis Mariæ, ut mundam offerret pro immundis.

De pœna tua peccatum tuum accusa, non judicem. *In Evang. Ioan. tract. 11.*

Non potest transire mare hujus seculi, nisi cruce Christi portatus.

Qui non diligunt mundum, carne versantur in mundo, sed corde inhabitant cælum.

Quid pejus domo, ubi femina habet imperium super virum.

Recta domus, ubi vir imperat, & femina obtemperat.

Rectus ipse homo, ubi spiritus imperat, caro servit.

Ut homines nascerentur ex Deo, primo ex ipsis natus est Deus.

Crux non ad potentiæ documentum, sed ad exemplum patientiæ suscepta est. *tract. 2.*

Mors peccatorum pœna erat: in Domino munus misericordiæ,

non pœna peccati Non enim habebat aliquid Dominus quare juste moreretur.

Dignare æquo animo pati per meritum tuum, quod ille dignatus est ut te à sempiterna morte liberaret.

Noli ad præmium diligere Deum, ipse sit præmium tuum.

tract.4. Tanta excellentia erat in Joannes, ut posset credi Christus esse.

tract.5. Spiritalis virtus Sacramenti ita est ut lux, & ab illuminandis pura excipitur, & si per ita mundos transeat, non inquinatur.

Noli imitari malum prædicatorem sed imitare bonum qui tibi prædicatur.

Volumus amari à vobis, sed nolumus in nobis. Quia ergo in Christo vos amamus, in Christo nos redamate.

Divinum jus in Scripturis habemus: humanum jus in legibus Regum.

tract 7 Omnis anima sequitur quod amat.

Phrene-

Phreneticus gaudet in insania.

Sanguine Agni victus est Leo. Qualis Agnus est, quem Lupi timent? Qualis Agnus est, qui Leonem occisus occidit?

Non vult Christus communionem, sed solus vult possidere quod emit. Tanti emit ut solus possideat. Tu facis ei consortem Diabolum.

Juris forensis est ut qui in precibus mentitus fuerit, non illi prosit quod impetravit.

Cum caput dolet, laudamus si Evangelium ad caput tibi posueris, & non ad ligaturam cucurreris.

Quam multi ægrotant in lecto innocentes, & si sani fuerint, procedunt ad scelera committenda. Quam multis obest sanitas.

Venit per matrem feminam Deus & dominus cæli & terræ. *tract. 8.* Secundum quod dominus mundi, quod dominus cæli & terræ, Dominus utique & Mariæ: secundum quod creator cæli & ter-

ræ, creator & Mariæ: ſecundum
Galat. 4. autem quod dictum eſt: *Factum ex muliere, factum ſub lege*, filius Mariæ. Ipſe dominus Mariæ, ipſe filius Mariæ: ipſe creator Mariæ, ipſe creatus ex Maria. Noli mirari, quia & filius & dominus. Sicut enim Mariæ, ita & David dictus eſt filius: & ideo David filius, quia Mariæ filius. Audi Apoſtolum aperte dicentem: *Qui*
Rom. 1. *factus eſt ei ex ſemine David ſecundum carnem.*

tract. 9. Quanta eſt charitas, quæ ſi deſit, fruſtra habentur cætera: ſi adſit recte habentur omnia!

tract. 10. Ubi fueris, ubicumque oraveris, intus eſt qui exaudit.

Deus homo factus eſt: quid homo factus eſt, propter quem Deus factus eſt homo?

Non ceſſat inimicus perſequi: & ſi non aperte ſævit, inſidijs agit. Inde dictus eſt leo, & draco: leo propter apertam iram: draco propter occultas inſidias.

Quæ honeſte emuntur, non illi-

cite venduntur.

Simon ideo volebat emere Spiritum Sanctum, quia vendere volebat Spiritum Sanctum.

Nolite quiescere lucrari Christo, quia lucrati estis à Christo.

Regeneratio spiritalis una est, sicut generatio carnalis una est. *tract.* 12.

Quasi duæ res sunt homo & peccator. Quod audis, homo, Deus fecit: quod audis, peccator, ipse homo fecit. Dele quod fecisti, ut Deus salvet quod fecit.

In morte Christi mors mortua est, quia vita mortua occidit mortem.

Initium operum bonorum, confessio est operum malorum.

Hoc facit sentina neglecta, quod facit fluctus irruens.

Ferto patrem erudientem, ne sentias judicem punientem.

Omnia possunt dici de Deo: & nihil digne dicitur de Deo. *tract.* 13.

Quæ est virginitas mentis? Integra fides, solida spes, sincera charitas.

Melius est esse digitum & esse in corpore, quàm esse oculum & evelli de corpore.

tract. 14. Qui vult gaudere de se, tristis erit: qui autem de Deo vult gaudere, semper gaudebit, quia Deus sempiternus est. Vis habere gaudium sempiternum? * Adhære illi qui sempiternus est.

**Inhære*

Ambæ generationes Domini inusitatæ sunt, & divina, & humana. Divina non habet matrem, humana non habet patrem.

Nemo hominum potest dicere quod veritatis est, nisi illumineturab eo qui mentiri non potest.

tract. 15. Infirmitas Christi nos facit fortes.

In templo vis orare? in te ora. Sed prius esto templum Dei, quia ille in templo suo exaudiet orantem.

tract. 17. Magis gaudere quàm mirari debemus quia Dominus noster & Salvator Jesus Christus homo factus est, quàm quod divina inter homines Deus fecit. Plus est enim

ad ſalutem noſtram quod factus eſt propter homines, quàm quod fecit inter homines: & plus eſt quod vitia ſanavit animarum, quàm quod ſanavit languores corporum moriturorum.

Porta portatus proximum tuum.

Neque natæ ſunt hæreſes & quædam dogmata perverſitatis illaqueantia animas, & in fundum præcipitantia, niſi dum ſcripturæ bonæ intelliguntur non bene: & quod in eis non bene intelligitur, etiam temere & audacter aſſeritur. *tract.* 18.

Deus, cui non eſt alia ſubſtantia ut ſit, & alia poteſtas ut poſſit: ſed conſubſtantiale illi eſt quicquid eius eſt, & quicquid eſt, quia Deus eſt: non alio modo eſt, & alio modo poteſt: ſed eſſe & poſſe ſimul habet, quia velle & facere ſimul habet. *tract.* 20.

Melius eſt neſcire quàm errare: ſed ſcire eſt melius quàm neſcire. *tract.* 21.

Non facit animam beatam niſi unus Deus. *tract.* 23.

Erigat te Christus per id quod homo est, ducat te per id quod Deus & homo est, perducat te ad id quod Deus est.

Mori nos vult (Deus) ut vivamus, quia viximus ut moreremur.

tract. 24. Quia ipse Christus verbum Dei est, etiam factum Verbi verbum nobis est.

tract. 25. *Respondit Iesus & dixit: Amen, amen dico vobis, quæritis me, non quia vidistis signa, sed quia manducastis ex panibus meis.* Quàm multi non quærunt Jesum, nisi ut illis faciat bene secundum tempus! Vix quæritur Jesus propter Jesum.

Medicus quando ægritudinem discutit, si curet quod per aliquam causam factum est, & ipsam causam per quam factum est non curet, ad tempus videtur mederi, causa manente morbus repetitur.

Quid superbis homo? filius Dei propter te humilis factus est. Puderet te fortasse humilem hominem, saltem imitare humilem Deum.

Superbia facit voluntatem ſuam, humilitas facit voluntatem Dei.

Nemo venit niſi tractus. Quem *tract. 26.* trahat (gratia) & quem non trahat: quare illum trahat, & illum non trahat, noli velle judicare, ſi non vis errare. Semel & accipe & intellige. * Non traheris ?* *Nondum.* ora ut traharis. Quid hîc dicimus fratres ? Si trahimur ad Chriſtum, ergo inviti credimus, ergo violentia adhibetur, non voluntas excitatur. Intrare quiſquam Eccleſiam poteſt nolens, accedere ad altare poteſt nolens, accipere poteſt Sacramentum nolens, credere non poteſt niſi volens. Noli te cogitare invitum trahi: trahitur animus & amore. Nec timere debemus ne ab hominibus qui verba perpendunt, & à rebus maxime divinis intelligendis longe remoti ſunt, in hoc Scripturarum Sanctarum evangelico verbo forſitan reprehendamur, & dicatur nobis: Quomodo voluntate credo, ſi trahor ? Ego dico: Parum eſt volun-

tate ire, etiam voluptate traheris.
Ps. 36. Quid est trahi voluptate? *Delectare in Domino, & dabit tibi petitiones cordis tui.* Est quædam voluptas cordis, cui panis dulcis est ille cælestis. Porro si Poëtæ dicere licuit: trahit sua quemque voluptas, non necessitas, sed voluptas: non obligatio, sed delectatio: quanto fortius nos dicere debemus, trahi hominem ad Christum, qui delectatur veritate, delectatur beatitudine, delectatur justitia, delectatur sempiterna vita, quod totum Christus est.

Mentiri Deo potes, Deum fallere non potes. Novit ille quid agas. Intus te videt, intus te examinat, intus inspicit, intus judicat, intus aut damnat aut coronat.

De spiritu Christi non vivit nisi corpus Christi.

Non potest vivere corpus Christi nisi de spiritu Christi.

tract. 27. Verbum, anima, & caro unus Christus. Filius Dei & Filius hominis unus Christus. Filius Dei

ſemper, filius hominis ex tempore; tamen unus Chriſtus ſecundum unitatem perſonæ: in cælo erat, quando in terra loquebatur. Sic erat filius hominis in cælo, quemadmodum filius Dei erat in terra: Filius Dei in terra in ſuſcepta carne, filius hominis in cælo in unitate perſonæ.

Anima tua non vivificat niſi membra quæ ſunt in carne tua: unum ſi tollas, jam non vivificatur ex anima tua, quia unitatì corporis tui non copulatur.

Nihil ſic debet formidare Chriſtianus, quàm ſepararì à corpore Chriſti. Si enim ſeparatur à corpore Chriſti, non eſt membrum ejus: ſi non eſt membrum ejus, non vegetatur ſpiritu ejus.

Sicut iniqui male utuntur bonis operibus Dei: ſic contra Deus bene utitur malis operibus iniquorum.

Sicut animus facit decus in corpore, ſic Deus in animo. Non enim facit corpori unde ametur tract. 32.

nisi animus, qui cum migraverit, cadaver horrescis: & quantumcumque pulcra illa membra dilexeris, sepelire festinas. Decus ergo corporis animus: decus animi Deus.

Deus scit in nobis & quod ipsi nescimus in nobis: nam & infirmitatem suam Petrus nesciebat, quando à Domino quod ter esset negaturus audiebat, & æger se nesciebat, Medicus ægrum sciebat.

Sunt quædam quæ Deus novit in nobis nescientibus nobis.

Diffusa Ecclesia per gentes loquitur omnibus linguis.

Oculus solus videt in corpore, sed nunquid soli sibi oculus videt? Et manui videt, & pedi videt, & cæteris membris videt: non enim si aliquis ictus in pedem veniat, avertit se oculus inde ut non præcaveat. Rursus sola manus operatur in corpore. Sed nunquid sibi soli operatur? Et oculo operatur, nam si ictus aliquis veniens non

eat in manum, ſed tantum in faciem, nunquid dicit manus: Non me moveo, quia non tendit ad me? Sic pes ambulando omnibus membris militat: membra cætera tacent, & lingua omnibus loquitur.

Habemus Spiritum Sanctum, ſi amamus Eccleſiam: amamus autem, ſi ejus compage & charitate conſiſtimus.

Quare Deus ſpiritum cujus maxima beneficia in nobis, quia charitas Dei per ipſum diffuſa eſt in cordibus noſtris, poſt reſurrectionem ſuam dare voluit? Quid ſignificavit? Vt in reſurrectione noſtra charitas flagret, & ab amore ſeculi ſeparetur, ut tota currat in Deum.

Nihil aliud in hac vita noſtræ peregrinationis meditemur, niſi quia & hîc non ſemper erimus, & ibi nobis locum bene vivendo præparabimus, unde nunquam migremus.

Metuendum eſt ne te occidat *tract 33.* ſpes, & cum multum ſperas de mi-

ſericordia Dei, incidas in judicium.

tract.34 Dedignabitur ſalvare, qui dignatus eſt creare?

Sicut nemo eſt à ſeipſo, ita nemo ſalvus eſt à ſeipſo.

tract.36 Eligamus nobis, fratres, contra linguas hominum, contra infirmas ſuſpiciones generis humani Deum judicem, Deum teſtem: non enim dedignatur teſtis eſſe qui judex eſt, aut promovetur cum ſit judex, quoniam qui teſtis eſt, ipſe judex erit. Quare ipſe teſtis? Quia non quærit alium unde cognoſcat qui ſis. Quare ipſe judex? Quia ipſe habet poteſtatem mortificandi & vivificandi, damnandi & abſolvendi, in gehennam præcipitandi, & in cælos levandi, Diabolo conjungendi, & cum Angelis coronandi.

tract.38 Quid converſo non ignoſcitur, ſi fuſus Chriſti ſanguis ignoſcitur? Quis homicida deſperet, ſi in ſpem redditus eſt à quo etiam Chriſtus occiſus eſt?

Non eſt ibi verum eſſe, ubi eſt & non eſſe.

Fides humilitatem habet. *tract.40*

Non amat multum nummum, qui amat Deum.

Totum quicquid te delectat in arbore, de radice ſurrexit.

Non fugit ſeipſam mala conſcientia, non eſt quo eat, ſequitur ſe, imo non recedit à ſe. *tract.41*

Voluptas tranſit, peccatum manet: præteriit quod delectabat, remanſit quod pungat.

Et hoc debet conari omnis qui tendit ad perfectionem, ut & ipſa concupiſcentia, cui non dantur ad obediendum membra, quotidie in proficiente minuatur.

Dominus noſter etiam in forma ſervi non ſervus, ſed in forma etiam ſervi dominus: fuit quippe illa carnis forma ſervilis: ſed quamvis eſſet ſimilitudo carnis peccati, non erat caro peccati. *tract.42*

Natus es homo, moriturus es. Qua ibis ut non moriaris? Quid facies ut non moriaris? Vt Domi- *tract.43*

nus tuus necessitate moriturum consolaretur, voluntate mori dignatus est. Quando vides Christum mortuum, dedignaris mori?

Est timor servilis, & est timor castus. Est timor, ne patiaris pœnam: est alius timor, ne amittas justitiam.

tract. 45 Ad hoc debet unicuique prodesse bene vivere, ut detur illi semper vivere: nam cui non datur semper vivere, quid prodest bene vivere?

Non est cuiquam spes vera & certa semper vivendi, nisi agnoscat vitam quæ est Christus, & per januam intret in ovile.

Multi in Ecclesia commoda terrena sectantes, Christum tamen prædicant, & per eos vox Christi auditur: & sequuntur oves non mercenarium, sed vocem pastoris per mercenarium.

Botrus aliquando de radice vitis exortus, pendet in sepe, crescit palmes, inseritur spinis, & portat fructum spina non suum: non enim

ſpinam vitis attulit, ſed ſpinis palmes incubuit. Noli interrogare niſi radicē. Quære radicem ſpinæ, extra invenis à vite: quære originem uvæ, vitis hanc protulit ex radice. Cathedra ergo Moyſi vitis erat, Phariſæorum mores ſpinæ erant. Doctrina vera per malos, palmes in ſepe. Botrum inter ſpinas caute lege, ne dum quæris fructum, laceres manum: & cum audis bona dicentem, ne imiteris mala facientem. *Quæ dicunt facite:* legite uvas: *quæ autem faciunt facere nolite*, cavete ſpinas.

Etiam per mercenarios vocem paſtoris audite, ſed nolite eſſe mercenarij, cum ſitis membra paſtoris.

Chriſtus ſeipſum prædicat. Lumen & alia demonſtrat & ſeipſum. tract. 47

Quomodo moritur caro, amiſſa anima quæ vita eſt ejus: ſic moritur anima amiſſo Deo, qui vita eſt ejus.

Certe immortalis eſt anima: plane immortalis eſt, quia vivit & mortua.

tract. 48 Qui amat, non laborat.

Omnis labor non amantibus gravis est.

tract. 49 Domini facta non sunt tantummodo facta, sed signa.

Mortem carnis omnis homo timet: mortem animi, pauci.

Laborat ne moriatur homo moriturus, & non laborat ne peccet homo in æternum victurus: & cum laborat ne moriatur, sine causa laborat: id enim agit ut multum mors differatur, non ut evadatur; si autem peccare nolit, non laborabit, & vivet in æternum.

O si possemus excitare homines mortuos, & cum ipsis pariter excitari: ut tales essemus amatores vitæ permanentis, quales sunt homines amatores vitæ fugientis! Quid non facit homo sub mortis periculo constitutus? Gladio impendente cervicibus, prodiderunt homines quicquid sibi unde viverent reservabant. Quis non continuo prodidit, ne percuteretur? Et post proditionem fortasse percussus

ſus eſt. Quis non ut viveret continuo, perdere voluit unde viveret, eligens vitam mendicantem quàm celerem mortem? Cui dictum eſt: Naviga, ne moriaris, & diſtulit? Cui dictum eſt: Labora ne moriaris, & piger fuit? Levia Deus jubet, ut in æternum vivamus, & obedire negligimus. Non tibi Deus dicit: Perde quicquid habes, ut vivas exiguo tempore in labore ſollicitus: ſed da pauperi unde habes, ut vivas ſemper ſine labore ſecurus. Accuſant nos amatores vitæ temporalis, quam nec cum volunt, nec quamdiu volunt habent: & nos invicem non accuſamus, tam pigri, tam tepidi ad capeſcendam vitam æternam, quam ſi voluerimus habebimus; cum habuerimus, non amittemus.

Dominus reſuſcitavit filiam Archiſynagogi adhuc in domo jacentem: reſuſcitavit juvenem filium viduæ extra portam civitatis elatum: reſuſcitavit Lazarum ſepultum quatriduanum.

Peccatum mors eſt animæ.

Quotidie videmus homines peſſima conſuetudine permutata vivere melius, quàm vivant qui reprehendebant.

Quàm difficile ſurgit, quem moles malæ conſuetudinis premit!

Cum facta fuerit reſurrectio, & bonorum gaudium amplius erit, & malorum tormenta graviora, quando cum corpore torquebuntur.

Requiem quæ continuo poſt mortem datur ſi ea dignus eſt, tunc accipit quiſque cum moritur.

Homo quando naſcitur, iam cum morte naſcitur, quia de Adam peccatum trahit.

Animæ tuæ anima fides eſt.

Anima & caro Chriſti cum Verbo Dei una perſona eſt, unus Chriſtus eſt.

Verbum animam ſuſcepit & carnem, totius hominis ſibi coaptans in perſonæ unitate naturam.

Flevit Chriſtus, fleat ſe homo. Quare flevit Chriſtus, niſi quia

flere hominem docuit?

Violentiæ pœnitendi cedat consuetudo peccandi.

Si vitam cupis tenere in Christo, noli timere mori pro Christo. *tract. 51*

Audio, *Qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam.* Nec permittor tantummodo mirari, sed jubeor imitari. Deinde sequentibus verbis, *Si quis mihi ministrat, me sequatur: & ubi sum ego, ibi & minister meus erit*, mundum contemnere accendor, & in conspectu meo nihil est vilius vitæ hujus. Totus quantumlibet fuerit prolixus vapor præsentis vitæ, præ amore æternorum temporalia mihi cuncta vilescunt. *tract. 52*

Homo qui sequi vult, audiat qua sequatur.

Quid, ait quispiam, quia Diabolus de credentium cordibus ejicitur foras, jam fidelium neminem tentat? imo vero tentare non cessat. Sed aliud est intrinsecus regnare, aliud forinsecus oppugnare:

nam & munitiſſimam civitatem aliquando hoſtis oppugnat, nec expugnat. Et ſi aliqua tela ejus miſſa perveniunt, admonet Apoſtolus unde non lædant, commemorat loricam & ſcutum fidei. Et ſi aliquando vulnerat, adeſt qui ſanat: quia ſicut pugnantibus dictum
Math. 6 eſt: *Hæc ſcribo vobis, ut non peccetis*: ita qui vulnerantur quod ſequitur audiunt: *& ſi quis peccaverit, advocatum habemus apud Patrem Ieſum Chriſtum juſtum, ipſe eſt propitiatio peccatorum noſtrorum*: quid enim oramus cum dici-
1. Ioan. mus, *Dimitte nobis debita noſtra*, niſi ut vulnera noſtra ſanentur? Et quid aliud petimus cum dicimus: *Ne nos inferas in tentationem*: niſi ut ille qui inſidiatur vel certat extrinſecus, nulla irrumpat ex parte, nulla nos fraude, nulla nos poſſit virtute ſuperare? Quantaſlibet tamen adverſum nos erigat machinas, quando non tenet locum cordis ubi fides habitat, ejectus eſt foras; ſed niſi Dominus cuſtodierit

civitatem, in vanum vigilabit qui custodit eam.

Periculosum est sibi placere, cui cavendum est superbire. *tract.* 58

Quærite Deum, & vivet anima vestra. Quæramus inveniendum, quæramus inventum: ut inveniendus quæratur, occultus est: ut inventus quæratur, immensus est: unde alibi dicitur: *Quærite faciem ejus semper:* satiat enim quærentem inquantum capit; & invenientem capaciorem facit ut rursus quærat implere, ubi plus capere cœperit. *tract* 63 *Psal.* 68. *Ps.* 104.

Nemo ibi moritur, quo nemo pervenit, nisi huic seculo moriatur, non morte omnium qua corpus ab anima deseritur, sed morte electorum qua etiam cum in carne mortali adhuc manetur, cor sursum ponitur: de qua morte dicebat Apostolus: *mortui enim estis, & vita vestra abscondita est cum Christo in Deo.* *Coloss.* 3

Si mors est quando de corpore anima exit, quomodo non est mors

quando de mundo amor noster exit?

Qui diligit Deum, non eum potest contemnere præcipientem ut diligat proximum: & qui sancte ac spiritaliter diligit proximum, quid in eo diligit nisi Deum?

tract 68 Joan. 14 *Vado parare vobis locum.* Ita, Domine, para quod paras; nos enim tibi paras, & te nobis paras, quoniam locum paras & tibi in nobis, & in te nobis. Tu enim dixisti: *Manete in me, & ego in vobis.* Ioan. 15.

tract. 73 Male usurus eo quod vult accipere, Deo potius miserante non accipit.

Quodcumque petimus adversus utilitatem salutis, non petimus in nomine Salvatoris: & tamen ipse Salvator est non solum quando facit quod petimus, verum etiam quando non facit: quoniam quod videt peti contra salutem, non faciendo potius se exhibet Salvatorem: Novit enim Medicus quid pro sua, quid contra suam salutem

poſcat ægrotus: & ideo contraria poſcentis non facit voluntatem, ut faciat ſanitatem.

Iſte locus evangelicus, fratres, ubi ſe dicit Dominus vitem, & diſcipulos ſuos palmites, ſecundum hoc dicit quod eſt caput Eccleſiæ, noſque membra ejus, mediator Dei & hominum homo Chriſtus Jeſus. Unius quippe naturæ ſunt vitis & palmites. Propter quod cum eſſet Deus, cujus naturæ non ſumus, factus eſt homo, ut in illo eſſet vitis humana natura, cujus & nos homines palmites eſſe poſſemus. *tract. 80.*

Quis eſt in hac vita ſic mundus, ut non ſit magis magiſque mundandus?

Accedit verbum ad elementum, & fit Sacramentum.

Ita in vite ſunt palmites, ut viti non conferant, ſed inde accipiant unde vivant: ita vero vitis eſt in palmitibus, ut vitale alimentum ſubminiſtret eis, non ſumat ab eis. Ac per hoc & manentem in ſe ha- *tract. 81.*

bere Christum, & manere in Christo, discipulis prodest utrumque, non Christo: nam præciso palmite potest de viva radice alius pullulare: qui autem præcisus est, sine radice non potest vivere.

Ioan. 15. *Ego sum vitis, vos palmites: qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum, quia sine me nihil potestis facere.* Ne quisquam putaret saltem parvum aliquem fructum posse à semetipso palmitem ferre, cum hæc dixisset, *hic fert fructum multum*: non ait, quia sine me parum potestis facere, sed *nihil potestis facere.* Sive ergo parum, sive multum, sine illo fieri non potest, sine quo nihil fieri potest, quia etsi parum attulerit palmes, eum purgat agricola ut plus afferat: tamen nisi in vite manserit, & vixerit de radice, quantumlibet fructum à semetipso non potest ferre. Quamvis autem Christus vitis non esset nisi homo esset, tamen istam gratiam palmitibus non præberet, nisi etiam Deus esset.

Ubi

Ubi charitas eſt, quid eſt quod poſſit deeſſe? ubi non eſt, quid eſt quod poſſit prodeſſe? *tract. 83.*

Fruſtra quidem, ſed tamen poteſt ſperare veniam qui non diligit: nemo autem poteſt deſperare, qui diligit.

Ubi dilectio eſt, ibi neceſſario fides & ſpes: & ubi dilectio proximi, ibi neceſſario etiam dilectio Dei.

Qui ſe propter habendum Deum diligunt, ipſi ſe diligunt.

Unus eſt ſolus qui & carnem hominis habere, & peccatum potuit non habere. *tract. 84.*

Imitari potuit quis morientem: nemo autem potuit redimentem.

Ad ipſam menſam non ſic * eos commemoramus, quemadmodum alios qui in pace requieſcunt, ut etiam pro eis oremus, ſed magis ut orent ipſi pro nobis, & eorum veſtigijs adhæreamus, quia impleverunt ipſi charitatem, qua Dominus dixit non poſſe eſſe majorem. *Martyres.*

tract. 86. Quod accipere salvandis non expedit nobis, non existimemus nos petere in nomine Salvatoris: sed hoc petimus in nomine Salvatoris, quod pertinet ad rationem salutis.

tract. 87. Ps. 10. *Qui diligit iniquitatem, odit animam suam.* Quia quod ei nocet, hoc diligit.

tract. 92. Christi sanguis sic in remissionem omnium peccatorum fusus est, ut ipsum etiam peccatum posset delere quo fusus est.

tract. 64. In nullo credendus est esse Pater sine Filio & Spiritu Sancto, aut Pater & Filius sine Spiritu Sancto; aut Filius sine Patre & Spiritu Sancto; aut sine Patre & Filio Spiritus Sanctus; aut Pater & Spiritus Sanctus sine Filio: sed ubi eorum quilibet unus, ibi Trinitas, Deus unus.

tract. 96. Non diligitur quod penitus ignoratur, sed cum diligitur quod ex quantulacumque parte cognoscitur, ipsa efficitur dilectione ut melius & plenius cognoscatur.

Adverſus impietatem quoque Arianorum Hæreticorum novum nomen Patres homouſion condiderunt, ſed non rem novam tali nomine ſignaverunt. *tract. 97.*

Eſt falſa gloria quando laudantes errore falluntur, ſive in rebus, ſive in hominibus, ſive in utriſque. Nam in rebus falluntur, quando putant id bonum eſſe, quod malum eſt: in hominibus autem quando putant eum bonum eſſe qui malus eſt: in utriſque vero, quando & id quod eſt vitium virtus putatur, & ipſe qui propter hoc laudatur, non habet quod putatur, ſive ſit bonus, ſive ſit malus. *tract. 100.*

Non petitur in nomine Salvatoris, quicquid petitur contra rationem ſalutis. *tract. 102.*

Exaudiuntur omnes ſancti pro ſeipſis, non autem pro omnibus exaudiuntur vel amicis, vel inimicis ſuis, vel quibuſlibet alijs, quia non utcumque dictum eſt, *dabit*, ſed *dabit vobis*. *Ioan. 16.*

tract. 110. Prorſus donum Dei eſt diligere Deum, quoniam ipſe ut diligeretur dedit, qui non dilectus nos dilexit.

Incomprehenſibilis eſt dilectio qua diligit Deus, neque mutabilis. Non enim ex quo ei reconciliati ſumus per ſanguinem Filij ejus, nos cœpit diligere: ſed ante mundi conſtitutionem dilexit nos, ut cum ejus unigenito etiam nos filij ejus eſſemus, priuſquam omnino aliquid eſſemus. Quod ergo reconciliati ſumus Deo per mortem Filij ejus, non ſic audiatur, non ſic accipiatur quaſi ideo nos reconciliaverit ei Filius, ut jam inciperet amare quos oderat, ſicut reconciliatur inimicus inimico, ut deinde ſint amici, & invicem diligant qui oderant invicem: ſed jam nos diligenti reconciliati ſumus ei, cum quo propter peccatum inimicitias habebamus. Quod utrum verum dicam * atteſtetur Apoſtolus: *Commendat*, inquit, *dilectionem ſuam Deus*

* atteſtatur. Rom. 5.

in nobis, quoniam cum adhuc peccatores essemus, Christus pro nobis mortuus est. Habebat itaque ille erga nos charitatem, etiam cum inimicitias adversum eum exercentes operaremur iniquitatem: & tamen ei verissime dictum est: *Odisti, Domine, omnes qui operantur iniquitatem.* Proinde *Psal. 5.* miro & divino modo & quando nos oderat, diligebat: oderat enim nos quales ipse non fecerat. Et quia iniquitas nostra opus ejus non omni ex parte consumpserat, noverat simul in unoquoque nostrum & odisse quod feceramus, & amare quod fecerat: & hoc quidem in omnibus intelligi potest de illo cui veraciter dicitur: *Nihil odisti eorum quæ fecisti:* Non enim quodcumque odisset, esse voluisset, aut omnino esset quod omnipotens esse noluisset: nisi & in eo quod odit, esset etiam quod amaret.

Productior est pœna quàm culpa, ne parva putaretur culpa, si *tract. 124. & vlt.*

cum illa fineretur & pœna. Ac per hoc vel ad demonſtrationem debitæ miſeriæ, vel ad emendationem labilis vitæ, vel ad exercitationem neceſſariæ patientiæ, temporaliter hominem detinet pœna, etiam quem jam ad damnationem ſempiternam reum non detinet culpa.

In Epiſt. B. Ioannis. tract. I. Non poteſt homo, quamdiu carnem portat, non habere vel levia peccata: ſed iſta levia quæ dicimus, noli contemnere. Si contemnis quando appendis, expaveſce quando numeras.

tract. 2. Nemo dubitat de Eccleſia, quia per omnes gentes eſt. Nemo dubitat quia ab Hieruſalem cœpit, & omnes gentes implevit.

Non vos inducant præciſa ut præcidamini: hortamini magis quæ præciſa ſunt, ut iterum inſerantur.

Pij homines & miſericordes multum dolent occiſum eſſe Chriſtum, & occidunt in hominibus Chriſtum.

Non eſt mirum ſi præciſus odiſti radicem.

Cognitio ſine charitate non ſalvos facit.

Omnes dilectores mundi, mundus vocantur.

Talis eſt quiſque, qualis eius dilectio. Terram diligis, terra eris: Deum diligis, quid dicam? Deus eris.

Ætas corporis non eſt in voluntate. Ita nullus ſecundum carnem creſcit quando vult, ſicut nullus quando vult naſcitur. *tract. 3.*

Ubi nativitas in voluntate eſt, & incrementum in voluntate eſt.

Nemo ex aqua & ſpiritu naſcitur niſi volens: ergo ſi vult, creſcit: ſi non vult, decreſcit.

Nunquam ſibi ſunt membra contraria.

Quomodo humores mali quando evomuntur, tunc relevatur corpus: ſic & mali quando exeunt, tunc Eccleſia relevatur.

Memoria promiſſæ mercedis perſeverantem facit in opere.

Corrige quod tu fecisti, ut salvetur quod in te Deus fecit.

Exhorresce quod minatur omnipotens, ama quod pollicetur omnipotens, & vilescit omnis mundus sive promittens, sive terrens.

Cathedram in cælo habet qui corda docet.

Interior magister est qui docet, Christus docet, inspiratio ipsius docet. Ubi illius inspiratio & illius unctio non est, forinsecus inaniter perstrepunt verba.

4. tract. Nos qui forinsecus loquimur ad aures vestras, ita sumus quasi operarii, adhibentes culturam forinsecus ad arborem, sed incrementum dare non possumus, nec fructus formare. Ille autem qui vos creavit & redemit, & vocavit, per fidem & spiritum suum habitans in vobis, nisi loquatur vobis intus, sine causa vobis perstrepimus. Unde hoc apparet? quia cum multi audiant, non omnibus persuadetur quod dicitur: sed illis solis quibus intus lo-

quitur Deus. Illis autem intus loquitur, qui ei locum præbent: illi autem Deo locum præbent, qui Diabolo locum non præbent. Habitare enim vult Diabolus corda hominum, & loqui ibi omnia quæ valent ad seductionem.

Solus Diabolus adversus nos pugnat. Nos cum Deo simus, & Diabolum vincimus: nam & si tu solus cum Diabolo pugnaveris, vinceris. Exercitatus est hostis. Quot palmarum? Considerate quo dejecerit: ut mortales nasceremur, primo ipsam originem nostram de paradiso dejecit. Quid ergo faciendum est, quia ipse exercitatus est? Invocetur omnipotens adversus exercitatum Diabolum. Habitet in te qui non potest vinci: & securus vinces eum qui vincere solet: sed quos, nisi in quibus non habitat Deus?

Tota vita Christiani boni, sanctum desiderium est.

Sicuti si velis implere aliquem sinum, & nosti quàm magnum

exten-dens. est quod dabitur, * extendis sinum vel sacci, vel utris, vel alicujus rei, nosti quantum missurus es; & si vides quia augustus est sinus, extendendo facis capaciorem. Sic Deus differendo extendit desiderium, desiderando extendit animum, extendendo facit capaciorem.

tract. 5. Si quis tantum habuerit charitatem, ut paratus sit pro fratribus etiam mori, perfecta est in illo charitas. Sed nunquid mox ut nascitur, jam prorsus perfecta est? Ut perficiatur, nascitur: cum fuerit nata, nutritur: cum fuerit nutrita, roboratur: cum fuerit roborata perficitur: cum ad perfectionem venerit, quid dicit? *Mihi vivere Christus est, & mori lucrum.* *Philip. 1.*

Non discernuntur filij Dei à filijs Diaboli, nisi charitate.

tract. 6. Nemo attendat linguas, sed facta.

Primis temporibus cadebat super credentes Spiritus Sanctus, &

loquebantur linguis, quas non didicerant, quando Spiritus dabat eis pronunciare. Signa erant tempori opportuna. Oportebat enim ita significari in omnibus linguis Spiritum Sanctum, quia Evangelium Dei per omnes linguas cursurum erat toto orbe terrarum.

Mundus iste omnibus fidelibus quærentibus patriam, sic est quomodo fuit eremus populo Israëli. *tract.7.*

Habere Baptismum & malus potest: habere prophetiam & malus potest: accipere Sacramentum corporis & sanguinis Domini & malus potest: habere nomen Christi & malus potest, idest, Christianus vocari & malus esse potest. Ergo habere Sacramenta ista omnia & malus potest: habere autem charitatem, & malus esse non potest.

Non discernuntur facta hominum, nisi de radice charitatis. Nam multa fieri possunt, quæ speciem habent bonam, & non procedunt

de radice charitatis. Habent enim & ſpinæ flores.

Semel breve præceptum tibi præcipitur: Dilige, & quod vis fac. Sive taceas, dilectione taceas: ſive clames, dilectione clames: ſive emendes, dilectione emendes: ſive parcas, dilectione parcas. Radix ſit intus dilectionis, non poteſt de iſta radice niſi bonum exiſtere.

Qualem faciem habet dilectio? Qualem formam habet? Qualem ſtaturam habet? Quales pedes habet? Quales manus habet? Nemo poteſt dicere. Habet tamen pedes, nam ipſi ducunt ad Eccleſiam: habet manus, nam ipſæ pauperi porrigunt: habet oculos, nam inde intelligitur qui eget: habet aures de quibus dicit

Luc. 8. Dominus: *Qui habet aures audiendi, audiat.*

tract. 8. Qui Deum laudat lingua, non ſemper poteſt: qui moribus Deum laudat, ſemper poteſt.

Si times ſpectatores, non

habebis imitatores.

Contemne te cum laudaris. Ille in te laudetur, qui per te operatur. Noli ergo ad laudem tuam operari quod bonum agis; ſed ad laudem illius à quo habes ut bonum agas. Abs te habes male agere, à Deo habes bene agere.

Neceſſe eſt (dilectio) ſicut ignis prius occupet proxima, & ſic ſe in longinquiora diſtendat.

Faber optimus vidit lignum non dolatum, de ſylva præciſum: adamavit, neſcio quid inde vult facere: non enim ad hoc amavit, ut ſemper ſic maneat. In arte vidit quod futurum eſt, non in amore quod eſt; & amavit quod inde facturus eſt, non illud quod eſt. Sic & nos Deus amavit peccatores. Nunquid ad hoc amavit peccatores, ut peccatores remaneamus? Quaſi lignum de ſylva vidit nos faber, & cogitavit ædificium quoddam quod inde facturus eſt; non ſylvam quod erat.

Perfecta dilectio eſt in dilectio-

ne inimici.

Magnitudinem mali tui attendis, omnipotentiam Medici non attendis.

Deus non indiget ſervis, ſed ſervi Deo. Tu eges bono ſervi tui: eget ſervus bono tuo, ut paſcas illum: eges & tu bono ſervi tui, ut adjuvet te. Non potes tibi aquam implere, non tibi potes coquere, non tibi potes ante equum currere, jumentum tuum non potes curare. Vides quia indiges bono ſervi tui, obſequio illius indiges. Non es ergo verus dominus, quando indiges inferiore. Ille eſt verus Dominus, qui nihil à nobis quærit.

Tract. 9. Neſcio utrum magnificentius nobis charitas commendari poſſit, quàm ut diceretur, *Deus charitas eſt.* Brevis laus, & magna laus: brevis in ſermone, & magna intellectu.

Sunt homines qui cum patientia moriuntur: ſunt autem quidam perfecti qui cum patientia vivunt.

Quid dixi? Qui adhuc desiderat istam vitam, quando illi venerit dies mortis, patienter tolerat mortem. Luctatur adversum se ut sequatur voluntatem Dei, & hoc potius agit animo quod eligit Deus, non quod elegit voluntas humana, & ex desiderio vitæ præsentis fit lucta cum morte, & adhibet patientiam & fortitudinem, ut æquo animo moriatur, iste patienter moritur. Qui autem desiderat, sicut dicit Apostolus, dissolvi & esse cum Christo, non patienter moritur, sed patienter vivit, delectabiliter moritur.

Fratres, date operam, intus agite vobiscum, ut desideretis diem judicij: aliter non probatur perfecta charitas, nisi cum cœperit ille dies desiderari. Ille autem eum desiderat, qui fiduciam habet in illo: ille autem habet fiduciam in illo, cujus conscientia non trepidat in charitate perfecta atque sincera.

Timor Dei sic vulnerat, quomodo Medici ferramentum putre-

dinem tollit, & quaſi videtur vulnus augere. Ecce putredo quando erat in corpore, minus erat vulnus, ſed periculoſum. Accedit ferramentum Medici, minus dolebat illud vulnus, quàm dolet modo cum ſecatur. Plus dolet cum curatur, quàm ſi non curaretur: ſed ideo plus dolet accedente medicina, ut nunquam doleat ſuccedente ſalute.

Timor quaſi locum præparat charitati. Cum autem cœperit charitas habitare, pellitur timor qui ei præparavit locum: quantum enim illa creſcit, ille decreſcit; & quantum illa fit interior, timor pellitur foras. Major charitas, minor timor: minor charitas, major timor. Si autem nullus timor, non eſt qua intret charitas: ſicut videmus per ſetam introduci linum, quando aliquid ſuitur, ſeta prius intrat; ſed niſi exeat, non intrat linum: ſic timor primo occupat mentem, non autem ibi remanet timor, quia ideo intravit ut introduceret charitatem.

Aliud

Aliud eſt timere Deum, ne mittat te in gehennam cum Diabolo: aliud eſt timere Deum, ne recedat à te. Ille timor quo times ne in ignem æternum mittaris cum Diabolo, * non eſt caſtus: non enim venit ex amore Dei, ſed ex timore pœnæ: cum autem times Deum, ne deſerat te præſentia ejus, amplectèris eum, ipſo frui deſideras. nondum

Diligendo (Deum) pulchri efficimur. Quid facit homo deformis & diſtorta facie, ſi amet pulchram? Aut quid facit femina deformis & diſtorta & nigra, ſi amet pulchrum? Nunquid amando poterit eſſe pulchra? Et nunquid & ille amando poterit eſſe formoſus? Amat pulchram, & quando ſe in ſpeculo videt, erubeſcit faciem ſuam levare ad illam formoſam ſuam quam amat. Quid faciet ut pulcher ſit? Expectat ut veniat pulchritudo? Imo expectando ſenectus additur, & * turpior efficitur. Anima vero noſtra, fratres mei, fœda eſt per iniquitatem, amando Deum pul- turpiorem facit

chra efficitur. Qualis amor eſt qui reddit pulchram amantem? Deus autem ſemper pulcher eſt, nunquam deformis, nunquam commutabilis. Amavit nos prior, qui ſemper eſt pulcher. Et quales amavit, niſi fœdos & deformes? Non ideo tamen ut fœdos dimitteret, ſed ut mutaret, & ex deformibus pulchros faceret. Quomodo erimus pulchri? Amando eum qui ſemper eſt pulcher. Quantum in te creſcit amor, tantum creſcit pulchritudo: quia ipſa charitas eſt animæ pulchritudo.

tract. 10 Quis eſt qui non credit quod Jeſus ſit Chriſtus? Qui non ſic vivit quomodo præcepit Chriſtus.

Fides ſine operibus non ſalvat.

Opus fidei ipſa dilectio eſt.

Qui præter viam currit, inaniter currit, imo ad laborem currit. Tanto plus errat, quanto præter viam currit.

Sine dilectione fides inanis eſt.

O homo qui laboras propter avaritiam, cum labore amatur quod

amas, ſine labore amatur Deus.

Extende charitatem per totum orbem, ſi vis Chriſtum amare, quia membra Chriſti per totum orbem jacent.

Placeat tibi Deus qualis es, ama qualis es: non te amat qualis es, ſed odit te qualis es. Ideo tui miſeretur, quia odit te qualis es, ut faciat te qualis nondum es. *De decē chordis lib. c. 8.*

Ægrum attendite. Æger ægrotantem ſe odit qualis eſt: inde incipit concordare cum Medico, quia & Medicus odit eum qualis eſt: nam ideo vult ſanum eſſe, quia odit eum febrientem: & eſt Medicus febris perſecutor, ut ſit hominis liberator. Sic avaritia, ſic libido, ſic odium, concupiſcentia, luxuria, ſic nugacitas ſpectaculorum, febres ſunt animæ tuæ, debes illas odiſſe cum Medico tuo: ita concordas cum Medico, niteris cum Medico, & libenter audis quod jubet Medicus, libenter facis quod jubet Medicus, & proficiente jam ſanitate incipiunt etiam

jam delectare præcepta. Quàm onerosus est cibus ægris quando reficiuntur, & pejorem horam reputant ægri refectionis suæ quàm suæ accessionis! & tamen cogunt se concordantes cum Medico, & quamvis inviti & obluctantes vincunt se ut aliquid accipiant: quanta aviditate sani majora recepturi sunt, unde ægri minora non accipiunt?

Cap. 9. Fœdum & turpe est ut vir dicat, non posse fieri quod facit femina.

cap. 10. Servum si haberes, velles ut serviret tibi servus tuus: servi tu meliori Domino Deo tuo. Servum tuum non tu fecisti, & te & servum tuum ille fecit. Vis ut tibi serviat cum quo factus es, & non vis servire à quo factus es. Ergo cum vis ut serviat tibi servus tuus homo, & tu non vis servire Domino Deo tuo, facis Deo quod tu pati non vis.

cap. 12. Attendis quid alius non faciat, non quid te jubeat facere Deus. Metiris te de comparatione pejo-

tris, non de juſſione melioris. Non quia ille nihil facit, ideo tu magnum aliquid facis.

Noli attendere poſt te quis non faciat, ſed quid te jubeat Deus facere.

Eſtote Chriſtiani. Valde parum eſt vocari Chriſtianus. *cap 13.*

Vis non timere diem occultum? Quando venerit, inveniat te paratum. *Tract. de Paſtoribus. cap.1.*

Scit prædeſtinatione & præſcientia oves & hircos ille ſolus, qui prædeſtinare potuit, qui præſcire. *De Ovibus lib. cap.10.*

Deus omnipotens eſt, & cum ſit omnipotens, mori non poteſt, falli non poteſt, mentiri non poteſt, & quod ait Apoſtolus, *negare ſeipſum non poteſt*. Quàm multa non poteſt, & omnipotens eſt! Et ideo omnipotens eſt quia iſta non poteſt: nam ſi mori poſſet, non eſſet omnipotens: ſi mentiri, ſi falli, ſi fallere, ſi inique agere, non eſſet omnipotens: quia ſi hoc in eo eſſet, non fuiſſet dignus qui eſſet omnipotens. *De ſymbolo vel Regula fidei l.1. cap.1.*

cap.2. Quod est res quæque, hoc generat: non generat homo bovem, non generat ovis canem, nec canis ovem. Quicquid est quod generat, id quod est generat.

cap.3. Quando voluit, quando sciebat, tunc natus est (Christus): non enim nolens natus est. Nemo nostrûm quia vult nascitur, & nemo nostrûm quando vult moritur. Ille quando voluit natus est, quando voluit mortuus est: quomodo voluit natus est de Virgine, quomodo voluit mortuus est in cruce.

Lib.2.1. Optimi jam tyrones Dei, fortes milites Christi, dum arma Sacramentorum suscipitis, pugnam adversus Diabolum indicitis: dum ejus operibus renunciatis, vehementius in vos ejus furias provocatis. Sed non metuat miles Christi: induemini enim ipsum Christum, ut per eum velociter superetis adversarium vestrum Diabolum. Quibus armis pugnat ille? Illecebrosis & subdolis. Duo sunt genera armorum ejus valde fortia,

contra quæ vigilanter ac fortiter ſtare debet omnis miles Chriſti, qui triumphare cupit & ſuperare virtutem Diaboli. Quæ ſunt iſta duo genera armorum? Voluptas & timor. Alios enim voluptate capit, alios timore frangit. Confirmetur & noſtra acies, proferantur arma ſpiritalia. Contra timorem Diaboli adſit *timor Domini caſtus* Pſal. 18.
permanens in ſeculum ſeculi. Contra voluptatem turpiſſimæ delectationis non deſit fides orationis. Et quid metuit Chriſtianus, quando admonetur ſic orare, ſic præſumere, ſic fidere, ut dicat: *Dominus* Pſ. 117.
mihi adjutor eſt, & ego deſpiciam inimicos meos. Plures tamen noveritis, dilectiſſimi, capere adverſarium per voluptatem, quàm per timorem.

In theatris labes morum, diſcere cap. 2.
turpia, audire inhoneſta, videre pernicioſa.

Qui ſemper vult vivere, & non cap. 3.
timere mortem, teneat vitam, ut mors ſuperetur à vita.

Qui non vult timere juſtum Judicem judicantem, ipſum nunc ſibi adhibeat defenſorem.

Lib. 3. cap. 4. Agit gratia cauſas ſuas & per inimicos ſuos, & per ipſos, & in ipſos.

Iiſdem gradibus quibus perierat humana natura, à Jeſu Chriſto Domino noſtro reparata eſt. Adam ſuperbus, humilis Chriſtus: per feminam mors, per feminam vita: per Evam interitus, per Mariam ſalus. Illa corrupta ſecuta eſt ſeductorem, hæc integra peperit Salvatorem: illa poculum à ſerpente propinatum libenter accepit, & viro tradidit ex quo ſimul mererentur occidi: hæc gratia cæleſti deſuper infuſa vitam protulit, per quam caro mortua poſſit reſuſcitari.

Virginis filius & virginum ſponſus attulit Matri fœcunditatem, ſed non abſtulit integritatem. Quod contulit matri ſuæ, hoc donavit & ſponſæ ſuæ. Sancta Eccleſia, quæ illi integro integra conjuncta

junĉta eſt, quotidie fiant membra ejus, & virgo eſt.

Facilius poſſumus dicere in illa vita æterna quid ibi non ſit, quàm quid ibi ſit. Non eſt ibi mors, non eſt ibi luctus, non eſt ibi laſſitudo, non eſt infirmitas, non eſt fames, nulla ſitis, nullus æſtus, nulla corruptio, nulla indigentia, nulla mœſtitia, nulla triſtitia. Ecce diximus quid ibi non ſit. Quid autem ibi ſit, vultis noſſe? *Hæc nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis aſcendit quæ præparavit Deus diligentibus ſe.* Si in cor hominis non aſcendit, cor hominis illuc aſcendat. *cap. 11.* *Eſaya. 64.*

Sic crede, ut deſideres videre quod credis. *l. 4. Gen.*

Agnoſce te prius quis ſis, & cognoſces qui te fecit quis ſit.

Corrigamur, dum tempus eſt emendemur, bonas cauſas habeamus, ut futuram diem judicij non timeamus. *cap. 8.*

Vita æterna, dilectiſſimi, nunquam vileſcat, ſemper dulceſcat. *cap. 12.*

Si amatur vita, quare non quæritur vera? Si amatur vita, talis quæratur quæ nunquam finiatur. Et si amatur, quare non quæritur? Aut si quæritur, quia hîc non est, ad eum locum ubi est quare non festinatur?

Venit ad te vita, repende vicem; veni & tu ad illam. Suscepit vehiculum mortis, ut transiens liberaret te: suscipe & tu mortem, ut cum ad illum veneris, ita ab illo suscipiaris, ut nunquam moriaris.

cap. 13. Nec habebit Deum patrem, qui Ecclesiam noluerit habere matrem.

Ecclesia mater est spiritalis. Ecclesia sponsa Christi est, gratia ejus dealbata, pretioso sanguine dotata. Totum possidet quod à viro suo accepit in dote.

tract. de disciplina christiana. Propter hoc discitur bene vivere, ut perveniatur ad semper vivere.

cap. 1. Dominus. Ego, quoniam ille seminat, quid sum? Vix cophinus semi-

nantis. Ipſe in me dignatur ponere, quod vobis ſpargat. Nolite ergo attendere ad vilitatem cophini, ſed ad charitatem ſeminis, & poteſtatem ſeminatoris.

Perverſus plus amas mortem quàm vitam. Abſit, inquis. Quis eſt hominum qui plus amet mortem quàm vitam? Forte convinco te, quia plus amas mortem quàm vitam. Ecce unde te convinco. Amas tunicam tuam, bonam eam vis. Amas villam tuam, bonam eam vis. Amas filium tuum, bonum eum vis. Amas amicum tuum, bonum eum vis. Quid eſt quod etiam bonam vis habere mortem? Quotidie enim rogas, ut quoniam mors ventura eſt, bonam mortem tibi det Deus, & dicis: Deus avertat à me malam mortem. Plus ergo amas mortem tuam, quàm vitam tuam. Mori male times, & male vivere non times. Corrige male vivere, time male mori. Sed noli timere: non poteſt male mori, qui bene vixe- *cap. 121*

rit. Prorſus confirmo, audeo dicere, *Credidi propter quod locutus ſum :* non poteſt male mori qui bene vixerit. Jam tu dicis tibi: Num multi juſti naufragio perierunt? Certe non poteſt male mori, qui bene vixerit. Num multos juſtos gladius peremit hoſtilis? Certe non poteſt male mori, qui bene vixerit. Num multos juſtos latrones occiderunt? Num multos juſtos beſtiæ laniaverunt? Certe non poteſt male mori, qui bene vixerit. Et ego reſpondeo: Hæc tibi videtur mala mors naufragio perire? gladio percuti, à beſtijs laniari, mors mala tibi videtur? Nonne has mortes Martyres ſubierunt quorum natalitia celebramus? Quod genus mortis non ſubierunt?

Pſ. 115.

Diſces bene mori, ſi didiceris bene vivere.

Seminantis manum non terret via, non terrent lapides, non ſpinæ: jactat ille quod ſuum eſt. Qui timuerit ne cadat in terram ma-

lam, non pervenit ad terram bonam.

Via iſta noſtra ambulantes quærit. Tria ſunt hominum genera quæ odit, remanentem, retro redeuntem, aberrantem. Ab his tribus generibus malis Domino adjuvante vindicetur & defendatur greſſus noſter. Jam vero cum ambulantes ſumus, alius tardius ambulat, alius celerius, ambo tamen ambulant. Excitandi ſunt ergo remanentes, retro redeuntes revocandi, errantes in viam ducendi, tardi exhortandi, celeres imitandi. Qui non proficit, remanſit in via: qui forte à meliore propoſito declinat ad id quod deterius reliquerat, reverſus eſt retro: qui fidem deſerit, à via erravit. *tract. de reditu ad cæleſtem patriam. cap. 4.*

Magnum te paſtorem video, Domine Ieſu, oves paſcentem, errantes requirentem, inventas cum gaudio ad gregem tuis humeris reportantem. *tract. de Cataclyſmo, cap. 6.*

Vere filios tuos diligeres, ſi Chriſtum filijs præferres, ipſoſ- *tract. de tempore barbarico. c. 3.*

que filios ipſi committeres. Vere filios tuos diligeres, ſi in ipſo illos diligeres, qui eos tibi dedit ut diligas. An ideo eos videris diligere, quia eorum voluptatibus faves? Audis blaſphemantes, & patienter fers, Chriſtiane, quod Rex Nabuchodonozor alienigena non potuit ſuſtinere, dicens: *Si quis dixerit blaſphemiam in Deum Sydrac, Miſac, & Abdenago, in interitum erit.* Vides frequentare ſpectacula, & non revocas? Vides luxuriantes, & non verberas? Nec potes te talem exhibere patrem qui paratus ſis indiſciplinatos filios vel exhæredare, vel abjicere, cum paratus eſſe debueras ſicut Abraham etiam filium immolare?

Dan. 3.

Omnis qui filiorum trucidat voluptates, ſacrificium tale, quale Abraham, offert Deo.

(Job) plus àmavit eum qui dederat, quàm id quod dederat.

cap. 6. tract. de utilitate jejunij. cap. 4.

Habet caro ex conditione mortali quoſdam terrenos appetitus

ſuos, in hos ſibi jus freni conceſſum eſt: regat te præpoſitus, ut poſſit à te regi ſubjectus: infra te eſt caro tua, ſupra te eſt Deus tuus. Cum vis ut ſerviat tibi caro tua, admoneris quomodo te oporteat ſervire Deo tuo. Attendis quod ſub te eſt, attende & quod ſupra te eſt. Leges in inferiorem non habes, niſi à ſuperiore: ſervus es, ſervum habes; ſed Dominus duos ſervos habet. Servus tuus plus eſt in poteſtate Domini tui, quàm in tua. Itaque vis tibi obediri à carne, nunquid in omnibus poteſt? In omnibus obtemperat Domino tuo: non in omnibus obtemperat tibi. Quomodo, inquis? Ambulas, pedes moves, ſequitur: ſed nunquid quantum vis ibit tecum? Animatur à te, nunquid quamdiu vis? Nunquid quando vis, doles? Quando vis, ſanus es? Exercet enim te plerumque Dominus tuus per ſervum tuum: ut quia fuiſti Domini contemptor, merearis emendari per ſervum.

cap. 5. Qui à nullis refrenat licitis, vicinus eſt & illicitis.

Ceſſando à lætitia carnis, acquiritur lætitia mentis.

De Verbis Domini. ſerm. 1. Ad hoc parcitur homini, ut convertatur, & non ſit qui damnetur.

Tempus cuique noſtrum proximum eſt, quia mortales ſumus.

Inter caſus ambulamus.

Quamdiu tu tibi inimicus es, inimicum habes ſermonem Dei. Eſto tibi amicus, & concordas cum illo.

Non anni nobis accedunt, ſed magis decedunt. Veniunt ut abeant.

ſerm. 2. Tam nemo poteſt quamvis uni domino obtemperare repugnantia jubenti, quàm nemo poteſt duobus dominis ſervire.

ſerm. 4. Honor noſter, Deus noſter: divitiæ noſtræ, Deus noſter.

ſerm. 5 Ideo mali bonum habemus, ne ſemper mali remaneamus.

Eſt bonum, quod faciat bonum: & eſt bonum, unde facias bonum.

Bonum quod facit bonum, Deus est. Aliud autem bonum est unde facias bonum, id est, quicquid habueris. Aurum est, argentum est: bonum est, non quod te faciat bonum, sed unde facias bonum. Habes aurum, bonum est: habes non unde sis bonus, sed unde facias bonum. Si habes bonum unde sis bonus, fac bonum de bono unde non es bonus.

Hortatur (Deus) ut petas, negabit quod petis? Sed cum aliquando tardius dat, commendat dona, non negat. Diu desiderata dulcius obtinentur, cito autem data vilescunt. Servat tibi Deus, quod non vult cito dare, ut & tu discas magna magne desiderare.

Ut saturemur, esuriamus & sitiamus.

Mendici Dei sumus; ut agnoscat ille mendicos suos, agnoscamus nos nostros.

Nihil est quod sic generent divitiæ quomodo superbiam. Omne pomum, omne granum, omne

frumentum, omne lignum habet vermem suum. Et alius est vermis mali, alius piri, alius fabæ, alius tritici: vermis divitiarum superbia.

Quæ tua sunt superflua, sint pauperibus necessaria.

Utantur divites consuetudine infirmitatis suæ, sed doleant aliter se non posse. Melius possent, si aliter possent.

Utere cibis electis, preciosis, quia sic consuesti, quia non aliter potes, quia si consuetudinem mutas, ægrotas. Conceditur tibi. Utere superfluis, da pauperibus necessaria. Utere preciosis, da pauperibus vilia.

Expectat (pauper) à te: expectas à Deo. Expectat ille manum quæ facta est secum: tu manum quæ fecit te: sed non solum te fecit, sed & pauperem tecum.

serm. 6. Times prorsus ne offendas majorem, & non times ne offendas Deum.

Si contemnis quod emptum est,

vide quanti emptum eſt. Quem vis contemnere, precium ejus attende, & cum morte Chriſti totum mundum appende.

Eſtote divites de Deo, non eum facturi divitem, ſed de illo futuri divites. Impleat vos, aliud non admittatis ad cor veſtrum.

Etiam iſta vita cogitantibus aliam vitam: iſta, inquam, vita inter ſuperflua deputanda eſt. Nam & Martyres contempſerunt illam.

Quid times hominem homo in ſinu Dei poſitus? Tu de illius ſinu noli cadere, quicquid ibi paſſus fueris, ad ſalutem valebit, non ad perniciem.

Opus te terret, mercedem attende. Quare vis pervenire delicatus ad eam rem ad quam non perducit niſi labor? Si ad argentum tuum, quod quandoque vel moriens amiſſurus es, non perveniſti ſine labore, ad vitam æternam ſine labore vis pervenire? Carior ſit tibi illa ad quam poſt

omnes labores sic pervenies, ut nunquam amittas.

serm. 7. Amandus est generator, sed præponendus est creator.

serm 8. Quid jam miraris si te seducit inimicus, quando tui ipsius seductor es?

serm. 9. Omnia sæva & immania prorsus facilia & prope nulla efficit amor.

Quàm facile toleratur quælibet adversitas temporalis, ut æterna pœna vitetur, æterna requies comparetur.

Nihil tam facile bonæ voluntati est quàm ipsa sibi: & hæc sufficit Deo.

ser. 10. Et fabrica ante celsitudinem humiliatur, & fastigium post humiliationem erigitur.

Non finis laborem, fugiendo.

Præsume te visurum bene vivendo, à quo videris & male vivendo. Male enim vivendo videri potes, videre non potes. Bene autem vivendo & videris & vides.

Venit in Virginem qui erat ante Virginem. Quam creavit elegit,

quam eligeret, creavit. Attulit Virgini fœcunditatem, non abstulit integritatem.

In te fode fundamentum humilitatis, & pervenies ad fastigium charitatis.

Est tentatio adducens peccatum, *serm*.11. qua Deus neminem tentat. Et est tentatio probans fidem, qua & Deus tentare dicitur.

Non nobis (Deus) infert bona sua, nisi auferat mala nostra. Et in tantum illa crescunt, in quantum ista minuuntur: nec illa perficientur, nisi ista finiantur.

Prius est mutandus homo, ut *ser*. 12. opera mutentur. Muta cor, & mutabitur opus.

Vis habere sanitatem corporis, hoc est bonum; nec tamen putes magnum bonum esse quod habet & malus.

Aurum & argentum malis malum est, bonis bonum est: non quia eos bonos aurum & argentum facit, sed quia bonos invenit, in usum bonum convertitur.

Aurum & argentum habere vis: ecce & hoc dico, bonum eſt, ſed ſi bene uſus fueris. Honorem habere vis: bonum eſt, ſed hoc ſi bene utaris. Quam multis honor occaſio exitij fuit!

Cum ſe homo inanem invenerit meliorum bonorum, & quid eſt avidus externorum bonorum? Quid prodeſt plena bonis arca, inanis conſcientia?

Omnia quæ circa jacent oculis tuis elegantia & pulcra, tibi cara ſunt, & tibi ipſi vilis es, fœdus es. Si tibi poſſent reſpondere bona quibus eſt plena domus tua, quæ habere optaſti, quæ perdere timuiſti, nonne & tibi clamarent: ſicut tu nos bona vis habere, ſic & nos volumus bonum habere dominum? Tacita voce contra te interpellant Dominum tuum: ecce bona tanta dediſti huic, & ipſe malus eſt. Quid ei prodeſt quod habet, quando eum qui omnia dedit non habet?

Quid mirum ſi mundus multa

vapulat? Servus eſt ſciens voluntatem Domini ſui, & faciens digna plagis.

Multos impedit à firmitate præſumptio firmitatis. *Serm.13*

Nemo erit à Deo firmus, niſi qui ſe à ſeipſo ſentit infirmum.

Attendite ſeculum quaſi mare: unicuique ſua cupiditas tempeſtas eſt. Amas Deum? ambulas ſuper mare, ſub pedibus tuis eſt timor ſeculi: amas ſeculum? abſorbebit te.

Magnæ virtutis eſt cum felicitate luctari, ne illiciat, ne corrumpat, ne ipſa ſubvertat felicitas.

Magnæ felicitatis eſt à felicitate non vinci.

Diſce calcare ſeculum, memento fidere in Chriſto: & ſi motus eſt pes tuus, ſi titubas, ſi aliqua non ſuperas, ſi mergi incipis, dic, Domine pereo, libera me: dic, Domine pereo, ne pereas.

Solus à morte carnis liberat te, qui mortuus eſt in carne pro te.

Omnis homo & debitor eſt Dei, *Serm.15*

& debitorem habet fratrem suum.

Poscit te mendicus, & tu es Dei mendicus: omnes enim quando oramus, mendici Dei sumus.

Imitare Patrem; si enim imitari non vis, exhæredari disponis.

Plorat secandus, & secatur: plorat urendus, & uritur: sævit (Medicus) in vulnus, ut homo sanetur; quia si vulnus palpetur, homo perditur.

Serm. 16 Festuca initium trabis est: nam trabes quando nascitur, prius festuca est.

Multum interest inter turbatum oculum, & extinctum: festuca turbat, trabes extinguit.

Non potest fieri ut qui odit alterum non sibi prius noceat: ille enim lædere conatur extrinsecus, se vastat intrinsecus.

Intus sibi inimicus est, qui odit alterum.

Debemus amando corripere, non nocendi cupiditate, sed studio corrigendi.

Te quærit Deus magis quàm

munus

munus tuum: offers munus tuum, & tu non es munus Dei. Plus quærit Christus quem redemit sanguine suo, quàm quod invenisti in horreo tuo.

Non vis humiliare te, quid cecidisti? Multum interest inter se humiliantem, & inter jacentem: jam jaces, & humiliare te non vis? Bene diceres: Nolo descendere, si noluisses ruere.

Gloriosum est injurias oblivisci, sed obliviscere injuriam tuam, non vulnus fratris tui. Ergo corripe inter te & ipsum solum, intuens correctioni, parcens pudori. Quia secretum fuit quando in te peccavit, secretum quære cum corrigis quod in te peccavit: nam si solus nosti quia peccavit in te, & eum vis coram omnibus arguere, non es correptor, sed proditor.

Ipsa corripienda sunt coram omnibus, quæ peccantur coram omnibus: ipsa vero corripienda sunt secretius, quæ peccantur secretius.

Aliquando homines reprehen-

dunt nos, quod quasi non corripiamus, aut putant nos scire quod nescimus, aut putant nos facere quod scimus. Sed forte quod scis, ego scio: sed non coram te corripio, quia curare volo, non accusare.

Ubi contigit malum, ibi moriatur.

Longe est quidem dies judicij, sed uniuscujusque hominis dies ultimus longe esse non potest, quia brevis est vita: & quia ipsa brevitas semper incerta, quando sit dies tuus ultimus nescis.

Corrige te hodie propter cras.

Si contemnis corpus tuum, considera pretium tuum.

Scio ego & mecum omnis homo qui paulo attentius consideraverit, neminem Deum timentem sub verbis ejus non se corrigere, nisi qui putat quia plus habet vivere. Ipsa res est quæ multos occidat.

Ubi mihi legis indulgentiam te accepturum, si te correxeris, lege

ibi mihi quantum victurus ſis.

Quid differs in craſtinum? Longa vita erit: ipſa longa bona ſit. Utique ſi longa erit, melius bona erit: ſi brevis erit, bene factum eſt ut bona produceretur.

Sic homines negligunt vitam ſuam, ut nolint habere malam, niſi ipſam.

Non amo in voce laudatorem, & in corde contemptorem; cum enim laudas, & non te corrigis, contra te teſtis es.

Quid eſt diu vivere, niſi diu torqueri? Ser. 17.

Creſcentibus decedunt dies, potius quàm accedunt.

Sic blanditur hic mundus, ut nemo velit finire ærumnoſam vitam.

Aſſumpſit (Dominus) corpus mortale, in quo occideret mortem. Ser. 18.

Dedit nobis præcepta Medicus ſanis, dedit præcepta Medicus, ne Medico indigeremus.

Bibe amarum calicem; tu enim tibi feciſti. Cœpiſti laborare, ſa-

nari non potes, nisi amarum calicem biberis. Prior bibit Medicus sanus, ut bibere non dubitaret ægrotus.

Regnum Dei crescente possessorum numero non minuitur, quia non dividitur: unicuique integrum habetur, quod concorditer habetur à multis.

Ser. 19. Cunctis officiis sacris litteris præscribitur norma vivendi: omnis ad bene vivendum provocatur sexus, ætas, dignitas.

Ser. 20. Nemo sibi promittat quod Evangelium non promittit: non nobis promittunt Scripturæ Sanctæ in hoc sæculo, nisi tribulationes, pressuras, angustias, augmenta dolorum, abundantiam tentationum.

Si cum Diabolo ardere habet qui nudum non vestivit, putas ubi arsurus est qui expoliavit?

Non nocent mala præterita, si non placent.

Non sic amemus ista terrena, ut perdamus cælestia.

Ser. 21. Utatur homo pœna sua, & bene

utatur malo ſuo, ut proficiat bono ſuo. Quis neſcit quia pœna eſt neceſſe eſſe ut moriamur, & quod eſt gravius, quando neſcimus? Pœna certa eſt, hora incerta: & de iſta pœna ſola certi ſumus in rebus humanis. Cætera noſtra & bona & mala incerta ſunt, ſola mors certa eſt.

Cum vivimus, vigilare debemus, & eligere debemus quod in futuro teneamus.

Non poſt judicium patet precum aut meritorum locus. *Ser. 22.*

Vivite bene, ne moriamini male. *Ser. 24.*

Non probat malam mortem, niſi tempus poſt mortem.

Via cæli eſt pauper, per quam venitur ad Patrem. *Ser. 2[illegible]*

Dives propter pauperem factus eſt, & pauper propter divitem. Pauperis eſt orare, & divitis erogare: Dei eſt pro parvis magna penſare.

Da petenti, ut poſſis ipſe accipere: tribue pauperi, ſi non vis flammis exuri: da in terra Chriſto,

quod tibi reddat in cælo.

Obliviſcere quod es, & attende quid futurus es.

Ser. 26. Voluit Dominus formam ſervi accipere, & accepta forma ſervi in illa paſci à ſervis, dignatione, non conditione: nam & iſta dignatio fuit ſe præbere paſcendum. Quod paſci voluit, paſcenti præſtitit. Quid mirum ſi de ſancto Helia præſtitit viduæ, quem prius corvo miniſtrante paſcebat? Nunquid paſcendo defecerat, quando ad viduam mittebat? Non, ſed religioſam viduam per obſequium exhibitum ſervo ſuo benedicere diſponebat.

Ser. 28. Cælum eſt ubi culpa ceſſavit: cælum eſt ubi flagitia non ſunt.

Si quotidianus panis, cur poſt annum illum ſumis, quemadmodum Græci in Oriente facere conſueverunt? Accipe quotidie quod quotidie tibi proſit: ſic vive, ut quotidie merearis accipere: qui non meretur quotidie accipere, non meretur poſt annum accipere.

Medicina est cæleste & venerabile Sacramentum.

Qui Deo se committit, Diabolum non timet.

Dominus noster Jesus Christus, inter nos petitor, cum Patre dator, non utique nos tantum hortaretur ut peteremus, nisi dare vellet. Erubescat humana pigritia, plus vult ille dare, quàm nos accipere: plus vult ille misereri, quàm nos à miseria liberari: nam ille quod nos hortatur, propter nos hortatur. *Ser. 29.*

Deus qui tibi dat, nihil melius quàm se tibi dat.

Quid tibi sufficit, cui Deus non sufficit?

Ideo Deus felicitatibus terrenis amaritudines miscet, ut alia quæratur felicitas, cujus dulcedo non est fallax.

Æterna promisit æternus.

Non ad delicias Christus in carnem descendit.

Toleremus potius præsentia, quàm diligamus.

Quid est judicium? Respice, & *Ser. 30.*

mis à voluptate cordis.

Non potuit Deus perfectius demonstrare quantum bonum sit obedientia, nisi cum prohibuisset ab ea re quæ non erat mala. *Ser. 34.*

Irascimini , & nolite peccare. Volo vos irasci, sed non ut peccetis: ut autem non peccetis, quibus habetis irasci, nisi vobis? Quid est homo pœnitens, nisi homo iratus sibi? Ut accipiat veniam, de seipso exigit pœnam. *Ser. 35. Psal. 4.*

(Zachæus) inflixit sibi condemnationem, ne incurreret damnationem.

Qui habetis de malo, facite inde bonum: qui non habetis de malo, nolite acquirere de malo.

Esto bonus, tu qui bonum facis de malo; & cum cœperis boni aliquid facere de malo, noli remanere tu malus. Nummi tui convertuntur in bonum, tu autem remanes malus.

Perde, ne pereas; dona ut acquiras; semina ut metas.

Illæ sunt veræ divitiæ, quas cum

habuerimus, perdere non possumus.

Quamdiu in terra sunt, divitiæ non sunt.

Vis ut contemnam hoc? ostende quid præferam.

Tolle vanitatem, si vis audire veritatem.

O Domine Deus noster! ut veniamus ad te, fac nos beatos de te.

Ser. 36. Si fides deficit, oratio perit.

Ser. 37. Sicut non potest homo duobus dominis servire, sic & nemo in hoc seculo potest gaudere & in Domino: quando gaudetur in seculo, non gaudetur in Domino: quando gaudetur in Domino, non gaudetur in seculo. Vincat gaudium in Domino, donec finiatur gaudium in seculo. Gaudium in Domino semper augeatur, gaudium in seculo semper minuatur donec finiatur.

Seculi lætitia est impunita nequitia.

Magnæ misericordiæ est, nequitiæ impunitatem non relinquere.

Ne (Deus) cogatur in extremo gehennæ damnare, modo flagello dignatur castigare.

Est severitas quasi sæva veritas.

Ad magna tendimus, parva capiamus, & magni erimus. Ser. 38.

Vis capere celsitudinem Dei? cape prius humilitatem Dei.

Dignare esse humilis propter te, quia Deus dignatus est humilis esse propter eundem te, non enim propter se.

Arborem attendite. Petit ima prius, ut sursum excrescat: figit radicem in humili, ut verticem tendat ad cælum.

Sine radice auras petis, ruina est ista, non incrementum.

Quomodo irasceris alteri, quando de te male loquitur: sic irascere tibi quando de altero male loqueris. Ser. 39.

Per ordinem, prius declina à malo, & fac bonum: prius accinge lumbos tuos, & accende lucernam.

Erubescat homo esse superbus, Ser. 41.

quoniam factus est humilis Deus.

Aliter tentator non vincitur, nisi contemnatur.

Habe Christum sursum largientem, hîc agnosce indigentem: hîc pauper est, ibi dives est. Ergo dives & pauper Christus: tanquam Deus, dives; tanquam homo, pauper: jam & ipse homo dives ascendit in cælum, sedet ad dexteram Patris: adhuc tamen hîc pauper esurit, sitit, núdus est.

Quantumvis habeas, quicumque dives, Dei mendicus es. Venis ad horam orationis, & ibi te probo. Petis: quomodo non pauper es qui petis? Plus addo: panem petis: qui panem quotidianum petis, pauper es, an dives? Et tum Christus dicit tibi: Da mihi ex eo quod tibi dedi. De meo mihi quare non donas? De meo quæro, da, & reddo. Habuisti me largitorem, facito debitorem. Pauca mihi das, plura reddam: terrena mihi das, cælestia reddam: temporalia mihi das, æterna restituam.

Tota ista vita intelligentibus tribulatio est: sunt enim duo tortores animæ non simul torquentes, sed cruciatus alternantes. Horum duorum tortorum nomina sunt timor & dolor: quando tibi bene est, times: quando male est, doles. Seculi hujus quem non decipit prosperitas, non frangit adversitas? Ser. 42.

Superbo videtur Domini humilitas indigna.

Transire nos cogitemus, & minus peccabimus.

Quid diu est, ubi finis est?

Mortem procuravit Diabolus, & ipse Diabolus de morte Christi est captivatus. Ser. 43.

Ut ames Deum, habitet in te Deus, & amet se de te.

Quamdiu vivimus, pugnamus: quamdiu pugnamus, periclitamur.

Vis caro serviat animæ tuæ? Deo serviat anima tua: debes regi, ut possis regere.

Quod ait, *caro concupiscit adversus spiritum, & spiritus adversus carnem*, noli putare spiritui homi- Galat. 5.

nis tantundem datum. Spiritus Dei eſt qui pugnat in te adverſus te, adverſus illud quod eſt in te contra te.

Agis ſi agaris: & bene agis, ſi à bono agaris.

Redemptior tibi ſpiritum dedit quo mortifices facta carnis.

Acrior pugna juvenum eſt: novimus eam, tranſivimus per eam.

Noli armare aduerſarium tuum contra te.

Surgendo aſſidue ſine cauſa, diſcit (libido) & non ſurgere.

ſer. 44. Neque Lazaro reſuſcitato poſt quatriduanum ullus putor in vivente remanſerat.

ſer. 45. Erubeſcunt negare Chriſtum, & non erubeſcunt negare verba Chriſti.

Comparate vos Judæis: illi contempſerunt pendentem in ligno, vos contemnitis ſedentem in cælo.

ſer. 46. Exhortatores eſtote, non ſermonibus, ſed moribus veſtris.

Servant feminæ castitatem, quam viri servare nolunt, & in eo quod non servant, se viros videri volunt: quasi propterea sit fortior sexus, ut eum facilius subjuget inimicus.

Intactam quæris, intactus esto: puram quæris, noli esse impurus. Non enim illa potest, & tu non potes. Si fieri non posset, nec illa posset. Quia vero illa potest, doceat te quia fieri potest.

In quo Propheta mihi legis quia promisit Deus correcto indulgentiam, non mihi legis quia promisit tibi longam vitam? *ser. 47.*

Quicquid adhuc horret corpori, non desperatæ sanitatis est. Quod autem præcisum fuerit, nec curari, nec sanari potest. *ser. 49.*

Magis dicit Medicus quid agatur in altero, quàm ille qui ægrotat quid agatur in seipso.

Diligendus est Pastor, tolerandus est mercenarius, cavendus est latro.

Laïcus qui vult bene vivere,

cum attenderit Clericum malum, quid ſibi dicit? Dominus dixit: *Quæ dicunt facite, quæ faciunt nolite facere.* Ambulabo viam Domini, non ſequar iſtius mores. Audiam ab illo non verba ipſius, ſed Dei. Sequar Deum, ſequatur ille cupiditatem ſuam. Quia ſi voluero apud Deum ſic me defendere, ut dicam: Domine, vidi male viventem illum Clericum tuum, & ideo male vixi. Nonne mihi dicturus eſt? ſerve nequam, non à me audieras: *Quæ dicunt facite, quæ autem faciunt facere nolite?*

Legitimum maritum anima Deum habet.

Quiſquis à Deo præter Deum aliquid quærit, non caſte Deum quærit.

Si uxor amet maritum, quia dives eſt, caſte non amat. Non enim maritum amat, ſed aurum mariti? Si autem maritum amat, & nudum amat, & pauperem amat.

Qui annunciant Deum amantes Deum, qui annunciant Deum propter Deum, paſcunt oves, & non ſunt mercenarij.

Non habeatis pro magno exaudiri ad voluntatem, habete pro magno exaudiri ad utilitatem. Ad voluntatem etiam Dæmones exauditi ſunt, & ad porcos quos petiverant, ire permiſſi ſunt. Ad voluntatem etiam princeps eorum exauditus Diabolus, à quo petitus Job tentandus non eſt negatus, ut eſſet ille probatus, ille confuſus. Ad voluntatem etiam Iſraëlitæ exauditi ſunt, & cum adhuc cibus eſſet in ore ipſorum, noſtis quæ conſecuta ſunt. Nolite ergo pro magno habere, ad voluntatem exaudiri. *ſer. 53.* *Math. 8.* *Pſal. 77.*

Aliquando Deus iratus dat quod petis, & Deus propitius negat quod petis.

Non exaudivit Dominus Paulum ad voluntatem, quia exaudivit ad ſanitatem.

Cum ea quæ Deus laudat, quæ

Deus præcepit, quæ Deus in futuro ſeculo promittit, ab illo petitis, ſecuri petite, & incumbite quantum poteſtis orationibus ut ſumatis. Illa enim propitio Deo conceduntur, illa ejus non ira, ſed miſericordia largiuntur. Quando autem petitis temporalia, cum modo petite, cum timore petite, illi committite, ut ſi proſint, det: ſi ſcit obeſſe, non det.

Quid obſit, quid proſit Medicus novit, non ægrotus. Tu dicis: tolle quod mordet. Medicus dicit: non tollo quod ſanat.

Audeo dicere, ſuperbis continentibus expedit cadere, ut in eo ipſo in quo ſe extollunt, humilientur.

Quid prodeſt cui ineſt continentia, ſi dominatur ſuperbia?

Non vult eſſe de corpore capitis humilis, qui amat ſuperbiam.

Ioan 14. *Ego ſum via, veritas & vita.*
ſer. 54. Tanquam diceret: Qua vis ire? Ego ſum via. Quo vis ire? Ego ſum veritas. Ubi vis permanere?

Ego ſum vita. Securi ambulemus in via, ſed inſidias timeamus juxta viam. Inimicus inſidiari non audet in via, quia Chriſtus eſt via; ſed juxta viam plane non deſinit.

Amas extra te opera tua, negligis in te opus Dei.

Quem habes judicem fugiens, hunc habeto patrem rediens.

Eſt pax ſerenitas mentis, tranquillitas animi, ſimplicitas cordis. Hanc qui accepit teneat, qui perdidit repetat, qui amiſit exquirat. *ſer. 57.*

Non poteſt concordiam habere cum Chriſto, qui diſcors voluerit eſſe cum Chriſtiano.

Quis non ſic diligat Chriſtum, ut & ſuam naturam jam immortalem gratuletur in Chriſto, atque ſe ſperet futurum eſſe immortalem per Chriſtum? *ſer. 58.*

Si Pater Deus agricola eſt, habet agrum, & colit agrum ſuum, expectat inde fructum. Non ceſſat verbo ſuo extirpare ſemina mala de cordibus noſtris, aperire cor noſtrum aratro ſermonis, *ſer. 59.*

plantare semina præceptorum, expectare fructum pietatis.

Quamvis meritorum diversitate fulgebunt alius magis, alius minus, quod tamen ad vitam æternam pertinet, æqualis erit omnibus. Non erit alteri longior, alteri brevior.

Sicut liberat bona spes, & certa spes: ita decipit perversa spes.

Prov. 3. Audisti præceptum non differendi ut in alium sis misericors: & differendo in te es crudelis. Non debes differre panem daturus, & differs indulgentiam accepturus.

Ser. 62. Membra Christi cogitate quale caput habeatis. Filij Dei cogitate qualem patrem inveneritis. Christiani hæredes Dei & cohæredes Christi, cogitate quæ vobis hæreditas promittatur.

Nullus in terra possidet hæreditatem patris nisi mortui. Nos vivo patre nostro possidebimus quod donabit, quia pater noster mori non poterit. Plus addo, plus dico, & verum dico: ipse

pater erit hæreditas noſtra.

Hoc noſſe primitus & Chriſtiano corde tenere debemus, non ad præſentis temporis bona nos factos eſſe Chriſtianos, ſed ad neſcio quid aliud quod Deus jam promittit, & homo nondum capit. Ser. 64.

Quia amant homines vivere in hac terra, promiſſa eſt illis vita: & quia multum timent mori, promiſſa eſt illis æterna.

Non magnum eſt diu vivere, aut ſemper vivere, ſed beate vivere.

Si prudentes dicuntur, qui omnibus modis agunt, ut differant mortem, & vivant paucos dies, ne perdant paucos dies: quàm ſtulti ſunt qui ſic vivunt, ut perdant diem æternum!

(Beatitudo cæleſtis) tanti valet quantum habes. Noli quærere quantum habeas, ſed qualis ſis. Res iſta tanti valet quantum es tu. Te da, & habebis illam. Qualis es, da te illi rei, & habebis illam. Sed malus ſum, inquies, & forte

me non accipit. Dando te illi, bonus eris: cum autem bonus fueris, precium ipsius rei eris.

Non omnes resurgunt in anima, omnes resurrecturi sunt in corpore. Cum venerit hora resurrectionis, omnes resurgent: boni sint, mali sint, omnes resurgent. Sed qui prius resurgit in anima, bono suo resurgit in corpore. Qui non resurgit in anima, malo suo resurgit in corpore. Qui resurgit in anima, resurgit in corpore ad vitam. Qui non resurgit in anima, resurgit in corpore ad pœnam.

Ipse qui fecerat hominem, factus est quod fecit, ne periret quod fecit. Manens Deus, factus est homo. Creator matris, creatus ex matre. De suo filius Dei, de nostro filius hominis. Quod minus est, à nobis accepit: quod plus est, nobis dedit.

Mirabilius aliquid fecit Deus, quando fecit quod non erat: & non creditur reparaturus quod

erat ab eis quos fecit quod non erant.

Qui præsumit de viribus suis antequam pugnet, ipse prosternitur. *De verbis Apostoli. serm. 4.*

Aliud est non concupiscere, aliud post concupiscentias suas non ire. *serm. 5.* Non concupiscere, omnino perfecti est: post concupiscentias suas non ire, pugnantis est, luctantis est, laborantis est.

Spera cum Christo regnum Christi, jam pignus tenes sanguinem Christi.

Peccatum vocabatur in lege sacrificium pro peccato. *serm. 6.*

Si recedat spiritus Dei, pondere suo spiritus hominis revolvitur in carnem, redit ad facta carnalia, redit ad concupiscentias seculares.

Ex ipsa dilectione justitiæ, integra fide, Catholica fide, spiritum Dei nobis inesse cognoscimus.

Absit ut spiritus concupiscendo contra carnem oderit carnem. Vi-

tia carnis odit, prudentiam carnis odit, contentionem mortis odit.

Ser. 10. Noſtrum nihil eſt niſi peccatum quod habemus.

Ser. 12. Multo eſt mihi optabilius inimicum non habere, quàm vincere.

O infelix infirmitas! Ad ſe vocat Medicus, & litibus occupatur ægrotus.

Ser. 13. Bonus Medicus non vult neceſſarius eſſe ægrotanti.

(Deus) miſit Medicum, qui gratis ſanaret. Parum eſt, qui gratis ſanaret, qui ſanatis etiam mercedem daret. Nihil addi ad iſtam benevolentiam poteſt. Quis eſt qui dicat: ſanem te, & do tibi mercedem? Sanat ægrotos, & ſanatis donat, & non aliud quàm ſeipſum donat. Salvator eſt adjutorium languidi: ipſe Salvator eſt præmium ſanati.

Gratia medicina eſt.

Qui vult ſemper ægrotare, ingratus eſt medicinæ.

Ipſa

Ipſa eſt laudabilis fides, ipſa eſt vera gratiæ fides, quæ per dilectionem operatur.

Caro non eſt malum: ſed ſecundum carnem vivere, malum eſt.

Unde vivit caro tua? De anima tua? Unde vivit anima tua? De Deo tuo. Unaquæque harum ſecundum ſuam vitam vivit. Caro enim non eſt vita, ſed anima carnis eſt vita. Anima tibi non eſt vita, ſed Deus eſt animæ vita. Anima ergo quæ debet ſecundum Deum vivere, non debitrix eſt carni ut ſecundum carnem vivat. Ergo quæ ſecundum Deum debet vivere, ſi ſecundum ſeipſam vivat, deficit, ſi ſecundum Deum, vivit & proficit. Tunc autem recte vivit caro ſecundum animam, ſi anima vivat ſecundum Deum. Certe unaquæque ſecundum hoc vivat unde vivit.

Timor eſt ſervus charitatis. Ne poſſideat Diabolus cor tuum, præcedat ſervus in corde tuo, & ſervet dominæ venturæ locum.

Pignus quando ponitur, cum fuerit res ipſa reddita, pignus aufertur. Arrha autem de ipſa redatur quæ dando promittitur, ut res quando redditur, impleatur quod datum eſt, non mutetur.

Unuſquiſque attendat cor ſuum, utrum ex intimis cordis medullis & ſincera charitate dicat, *Pater*.

Medicus noſter & ſanitatem nobis donat, & mercedem inſuper largiri dignatur.

Hæredes Dei ſic (ſumus) ut ipſe Deus ſit hæreditas noſtra.

ſer. 14. (Dominus) peccatum non ſuſcepit, ſed pœnam peccati ſuſcepit. Suſcipiendo ſine culpa pœnam, & pœnam ſanavit & culpam.

ſer. 15. Minus eſt offendere Chriſtum in cruce pendentem, quàm in cælo ſedentem.

Pſ. 131. *Sacerdotes tui induantur juſtitia.* Veſtis accipitur, non cum capillis naſcitur: pecora de ſuo veſtiuntur.

Sine voluntate tuá non erit in te juſtitia Dei. Voluntas quidem non eſt niſi tua, juſtitia non eſt

nisi Dei. Esse potest justitia Dei sine voluntate tua, sed in te esse non potest nisi per voluntatem tuam. Qui fecit te sine te, non te justificat sine te. Fecit nescientem, justificat volentem.

Melius est justum esse, quàm te hominem esse. Si hominem te fecit Deus, & justum tu te facis, melius aliquid facis, quàm fecit Deus.

Deus non amatur nisi de Deo.

Vt prosit tibi communicatio passionum Christi, charitas adsit.

Si in te fuerit charitas Dei, communicabis Christi passionibus, & verus eris Martyr, in quo charitas coronatur.

Contemne spiritum tuum, accipe spiritum Dei.

Morere ut vivas, sepelire ut resurgas.

Semper tibi displiceat quod es, si vis pervenire ad id quod nondum es.

Semper ambula, semper profice. Noli in via remanere: noli re-

tro redire: noli deviare: remanet qui non proficit. Retro redit qui ad ea revertitur, unde jam abſceſſerat. Deviat qui apoſtatat. Melius it claudus in via, quàm curſor præter viam.

Ser. 16. Dominus radicem interrogat non florem.

Omnino non me ſatiaret Deus, niſi promitteret mihi ſeipſum Deum.

Quid eſt tota terra? Quid eſt totum mare? Quid eſt totum cælum? Quid ſunt omnia ſydera? Quid Sol? Quid Luna? Quid exercitus Angelorum? Omnium iſtorum Creatorem ſcio, ipſum ſitio, ipſum eſurio, ipſi dico:
Pſ. 35. *Quoniam apud te eſt fons vitæ.*

Fides quæ per dilectionem operatur, ſine ſpe eſſe non poteſt.

Viator quando laborat ambulando, in eo laborem tolerat, quia pervenire ſperat. Tolle illi ſpem perveniendi, continuo franguntur vires ambulandi.

Ser. 17. In patria nullus orandi locus

erit, ſed tantum laudandi. Quare orandi nullus locus erit? Quia nihil deeſt. Quod hîc creditur, ibi videtur: quod hîc ſperatur, ibi tenetur: quod hîc petitur, ibi accipitur.

Juſtitia ſic delectet, ut vincat etiam licitas delectationes; ei delectationi qua licite delectaris, præpone juſtitiam.

Inter omnia quæ delectant plus te delectet ipſa juſtitia, non ut alia non delectent, ſed prius ipſa delectet.

Non amatur niſi quod delectat.

Habes duos ſervos, unum deformem corpore, alium pulcrum: ſed illum deformem fidelem, alterum infidelem. Dic mihi quem plus diligas, & video te amare inviſibilia.

Perdite viventes ſpem ſibi ponunt in regno Dei, quo non acceſſuri ſunt. Ibi impij, ibi mala, ibi nequiſſimi habitare non ſinuntur. Eligat modo qui talis eſt, ubi deſideret habitare, cum tem- *ſer.* 181

pus est ut possit mutari. Duæ habitationes sunt, una in igne æterno, alia in regno æterno. (Infernus) non est regio ubi eligas locum: quæcumque ibi mitiora tormenta sunt, pejora sunt quàm quæ formidas in hoc seculo.

Timetur carcer, timetur confusio, & non timetur gehennæ exustio.

Timor vanus est omnium hominum timentium amittere temporalia, quandoque migraturorum & migrare trepidantium, volentium semper differre quod non possunt auferre. Vanus est iste timor hominum, & tamen est, & vehemens est, & resisti ei non potest.

Si times mortem, ama vitam. Vita tua Deus est, vita tua Christus est, vita tua Spiritus Sanctus est.

Templum tui nosum (Deus) non inhabitat, templum sordidum non ingreditur.

Intrat charitas, pellit timorem: non autem intrat & ipsa incomi-

tata. Habet ſecum ſuum timorem quem introducit ipſa, ſed illum caſtum permanentem in ſeculum ſeculi.

Servilis timor eſt, quo times cum Diabolo ardere: timor caſtus eſt, quo times Deo diſplicere.

Corporis hujus, id eſt, exterioris hominis ornamenta, quanto magis appetuntur, tanto ſunt interioris majora detrimenta. Quanto autem minus appetuntur ornamenta exterioris hominis, tanto magis moribus pulchris homo interior adornatur.

Timor ſervilis cuſtos malorum, ut abſtineant à malis, & abſtinendo digni ſint ad ſe admittere charitatem.

Omnium Chriſtianorum ſpes in futurum tempus extenditur, ut quod hîc ſervimus Deo, alibi nos ſerviſſe lætemur. *Ser. 19.*

Hîc nobis poſita ſunt certamina, ſed in futuro ſeculo certaminum præmia reſervata. Juſte ſiquidem & provide divina ſapientia

ſeparavit tempus laboris & præmij.

Nos ita in hac vita converſemur, ut nos ad aliam præparemus.

Quid eſt amplius ex nihilo facere homines qui vivant, an eos qui facti ſunt atque vixerunt reparare poſt mortem? Utique plus eſt facere quod nunquam fuit, quàm reparare quod fuerit.

Tota hujus mundi adminiſtratio teſtimonium eſt reſurrectionis futuræ. Videmus certe hyemis tempore vel adventu arbores ſpoliari pomis, nudari foliis; ſed eas rurſus verno tempore ſpeciem reſurrectionis exprimere: quæ primo quidem incipiant turgere in gemmis, dehinc ornari in floribus, veſtiri & in foliis, & poſtmodum pomis gravari. Certe herba quæ ante vixit & moritur, rurſus reviviſcit ex ſemine.

Dedit nobis pius & miſericors Dominus virtutis ſuæ pignus, & grandi teſtimonio ſpem nobis reſurrectionis oſtendit, quia unigenitum

nitum filium suum pro nobis hominem factum & mortuum à mortuis suscitavit.

Qui Dominum Jesum resurrexisse à mortuis confitetur, nec de sua poterit dubitare.

Quod non statim (Deus) in peccatores vindicat, patientia est, non negligentia. Non ille potentiam perdidit, sed nos ad pœnitentiam reservavit. Valde timendum est ne quanto diutius expectat ut corrigamur, tanto gravius vindicet si emendari noluerimus. *Ser. 20.*

Ille dives ante cujus januam jacebat pauperrimus ulcerosus, non est dictus raptor rerum alienarum. *Erat quidam dives,* inquit, *qui induebatur purpura & bysso, & epulabatur quotidie splendide.* Dives, inquit, erat: non dixit, calumniator: non dixit, pauperum oppressor: non dixit, rerum alienarum raptor, aut delator, aut receptor: non dixit, pupillorum spoliator: non dixit, viduarum persecutor: nihil horum, sed erat quidam di- *Ser. 21.* *Luc. 16.*

ves. Quid magnum est, dives erat? De suo dives erat, cui aliquid tulerat? An forte ille auferret, & Dominus de illo reticeret, & personam ejus acciperet, si crimina ejus absconderet, qui nobis dicit: *Nolite personaliter judicare?* Si vis ergo audire crimen divitis illius, noli amplius quærere quàm audis à veritate. Dives erat, induebatur purpura & bysso, & epulabatur quotidie splendide. Quod ergo ejus crimen? Jacens ante januam ulcerosus, & non adjutus: hoc enim aperte de illo dictum est, quod immisericors erat. Nunquid enim, charissimi, si pauper ille ante januam jacens sufficientem panem à divite acciperet, diceretur de illo, quia cupiebat saturari de micis quæ cadebant de mensà divitis? Propter hanc solam inhumanitatem qua contemnebat pauperem ante januam suam jacentem, nec congrue dignéque pascebat, mortuus & in inferno sepultus est. Si hæc ergo pœna avarorum,

quæ pœna raptorum? Sed ait mihi raptor rerum alienarum: Ego similis illius divitis non sum, agapes facio, vinctis in carcere victum mitto, nudos vestio, peregrinos suscipio. Dare te putas, tollere noli, & dedisti. Cui dederis gaudet, cui abstuleris plorat: quem duorum istorum exauditurus est Dominus? Dicit ei cui dederis: Gratias age quia accepisti. Sed alter ex alia parte tibi dicit: Ego gemo, cui abstulisti, & pene totum tenuisti, & exiguum dedisti. Si ergo quod alteri abstulisses, egentibus dedisses, nec talia opera diligit Deus. Dicit tibi Deus: Stulte, jussi ut dares, sed non de alieno: si habes, da de tuo: melius nulli dabis, quàm alteros spoliabis.

Si in ignem æternum ibit cui dicturus est Christus: Nudus fui, & non vestisti me: quem locum in igne æterno habebit cui dicturus erit: Vestitus fui, & spoliasti me?

Si amas videre Deum tuum, si in hac peregrinatione illo amore

ſuſpiras; ecce probat te Dominus Deus tuus, quaſi dicat tibi: Ecce fac quę vis, imple cupiditates tuas, extende nequitiam, dilata luxuriam, quicquid libuerit, licitum puta: non hinc te punio, non te in gehennas mitto, faciem meam tantum negabo. Si expaviſti, amaſti. Si hoc quod dictum eſt, faciem tuam tibi negabit Deus tuus, contremuit cor tuum, in non videndo Deum tuum magnam pœnam putaſti, gratis amaſti.

Dicam quod fecerit pauperrimus homo, nobis apud Mediolanum conſtitutis, tam pauper ut Proſcolus eſſet Grammatici, ſed plane Chriſtianus, quamvis ille eſſet Paganus Grammaticus, melior ad velum quàm ad cathedram. Invenit ſacculum, niſi forte me numerus fallit, cum ſolidis fermè ducentis, memor legis propoſuit pitacium publice: reddendum enim ſciebat, ſed cui redderet ignorabat, propoſuit pitacium publice: Qui ſolidos perdidit, veniat ad lo-

cum, & quærat hominem illum. Ille qui plangens circumquaque vagabatur, invento & lecto pitacio, venit ad hominem; & ne forte quæreret alienum, quæsivit signa, interrogavit sacculi qualitatem, sigillum solidorum, etiam & numerum. Et cum omnia illi fideliter respondisset, reddidit quod invenerat. Ille autem repletus gaudio, & quærens vicem rependere, tanquam decimas obtulit illi viginti, qui noluit accipere, obtulit vel decem, noluit accipere. Saltem rogavit vel quinque acciperet, noluit ille. Stomachabundus homo projecit sacculum: Nihil perdidi, ait, si non vis aliquid à me accipere, nec ego aliquid perdidi. Quale certamen, fratres mei, quale certamen, qualis pugna, qualis conflictus! theatrum mundus, spectator Deus. Victus tandem ille quod offerebatur accepit, & continuo totum pauperibus erogavit, unum solidum in domo sua non dimisit.

Melior est fidelis ignorantia, *Ser. 22.*

quàm temeraria ſcientia.

Petrus negat, Latro credit.

Ser. 23. Par infirmitas in duobus ſi uno accidat tempore, tolerare ſe invicem non valent, cum adverſus ſe intenditur: nam adverſus aliquem tertium & duo irati ſibi conveniunt, quanquam nec tolerare ſe invicem dicendi ſunt, ſed potius ſe invicem conſolari: ſicut & triſtes de una re magis ſe portant, & quaſi incumbunt ſibi, quàm ſi unus triſtis eſſet, & alius gauderet: ſi autem adverſus ſe triſtes ſint, prorſus ſe tolerare non poſſunt. Nec invicem portaremus onera noſtra, ſi unum tempus eſſet infirmitatis amborum qui onera ſua ſuſtinent: aut enim unum infirmitatis genus, ſed diverſa tempora: aut eadem tempora & diverſa genera infirmitatis faciunt, ut onera noſtra invicem portare valeamus.

Iram fratris tunc portabis, cùm tu adverſus eum non iraſceris.

Se inclinat qui manum jacenti porrigit: non enim ſe projicit ut

ambo jaceant, ſed incurvat tantum ut jacentem erigat.

Neque ulla res officioſum iſtum laborem ad portanda onera aliorum facit libenter impendi, ſicut cum cogitamus quanta pro nobis pertulerit Chriſtus.

Illud cogitandum nullum eſſe hominem qui non poſſit habere aliquid boni quod tu nondum habes, etiamſi lateat in quo ſine dubio poſſit te eſſe ſuperior: quæ cogitatio ad contundendam & edomandam ſuperbiam valet.

Ideo amicorum mala firmius ſuſtinemus, quia bona eorum nos delectant & tenent.

Ingenti cura & implorata Dei miſericordia cogitandum eſt, ne Chriſtum negligamus propter infirmum, cum infirmum debeamus diligere propter Chriſtum.

Sic vigilet tolerantia, ut non dormiat diſciplina. *Ser. 24.*

Omnes mali perſequuntur bonos, ſi non ferro & lapidibus, ſed vita & moribus. Nunquid aliquis *Ser. 26.*

ſanctum Loth perſequebatur in Sodomis? Nemo illi moleſtus erat, & tamen inter iniquos vivebat, & inter immundos, ſuperbos, blaſphemos perſecutionem patiebatur, non vapulando, ſed malos videndo.

Redimere tempus hoc eſt: quando aliquis tibi infert litem, perde aliquid ut Deo vaces, non litibus perde.

Quando pro tuis neceſſitatibus procedis ad publicum, das nummos, & emis tibi panem, aut vinum, aut oleum, aut lignum, aut aliquam ſupellectilem: das, & accipis, aliquid amittis, aliquid accipis, hoc eſt emere. Nam ſi nihil amittis, & habeas quod non habebas, aut inveniſti, aut donatum accepiſti, aut hereditate acquiſiſti. Quando autem aliquid amittis, ut aliquid habeas, tunc emis: quod habes emptum eſt, quod amittis precium eſt. Quomodo ergo perdis nummos, ut emas tibi aliquid; ſic perde nummos ut emas tibi

quietem. Ecce hoc eſt tempus redimere.

Ad poſſeſſionem (auri) non omnes idonei, ad contemptum ejus omnes idonei. Ser. 28.

Felicitas magna Chriſtianorum, quibus datum eſt ut paupertate faciant præmium regni cælorum.

Non tibi diſpliceat paupertas tua, nihil ea poteſt ditius inveniri. Vis noſſe quàm locuples ſit? Cælum emit.

Magnæ felicitatis eſt conditio Chriſtianorum, quibus claritudo regni cæleſtis in paupertate poſita eſt.

Initium bonæ vitæ, cui vita etiam æterna debetur, recta fides eſt. Ser. 29.

Intellige, ut credas verbum meum: crede, ut intelligas verbum Dei.

Peccat & graviter qui falſum jurat: non peccat qui verum jurat. Sed nec ille peccat qui omnino non jurat; ſed qui non jurat, & non peccat, & longe eſt à peccato: qui autem verum jurat, non peccat, Ser. 31.

ſed prope eſt ad peccatum.

Juravimus & nos, paſſim habuimus iſtam teterrimam conſuetudinem & mortiferam. Dico charitati veſtræ, ex quo Deo ſervire cœpimus, & quantum malum ſit in perjurio vidimus, timuimus vehementer, & veternoſiſſimam conſuetudinem timore refrænavimus, frænata reſtringitur, reſtricta langueſcit, langueſcens emoritur, & malæ conſuetudini bona ſuccedit.

Denique non vobis dicimus nos non jurare; ſi enim hoc dicimus, mentimur. Quantum ad me pertinet, juro, ſed quantum mihi videtur magna neceſſitate compulſus. Cum videro non mihi credi, niſi faciam, & ei qui mihi non credit, non expedire quod non credit, hac perpenſa ratione & conſideratione librata, cum magno timore dico: Coram Deo: aut, teſtis eſt Deus: aut, ſcit Chriſtus ſic eſſe in animo meo. Et video quia plus eſt, ideſt, amplius quàm *eſt, eſt: non, non:*

ſed quod amplius eſt, à malo eſt, etſi non à malo jurantis, à malo eſt non credentis.

Aliud eſt cum exigitur juratio, aliud cum offertur: & hoc ipſum quod offertur, aliud cum offertur non credenti, aliud cum ventilatur & credenti.

Major conſuetudo majorem intentionem flagitat quàm rei levis conſuetudo.

Et qui per lapidem falſum jurat, perjurus eſt.

Medicina vitium perſequitur, non naturam. Ser. 9

Orationibus ſanctæ Eccleſiæ & ſacrificio ſalutari & eleemoſynis, quæ pro eorum ſpiritibus erogantur, non eſt dubitandum mortuos adjuvari, ut cum eis miſericordius agatur à Domino, quàm eorum peccata meruerunt. Hoc autem à Patribus traditum univerſa obſervat Eccleſia, ut pro eis qui in corporis & ſanguinis Chriſti communione defuncti ſunt, cum ad ipſum ſacrificium loco ſuo commemo-

rantur, oretur, ac pro illis quoque id offerri commemoretur. Cum vero eorum commemorandorum causa opera misericordiæ celebrantur, quis eis dubitet suffragari pro quibus orationes Deo non inaniter allegantur? Non omnino ambigendum est ista prodesse defunctis, sed talibus qui ita vixerint ante mortem, ut possint eis hæc utilia esse post mortem. Nam qui sine fide quæ per dilectionem operatur, ejusque sacramentis de corporibus exierunt, frustra illis à suis hujusmodi pietatis impenduntur officia, cujus, dum hîc essent, pignore caruerunt, vel non suscipientes, vel in vacuum recipientes Dei gratiam, & sibi non misericordiam thesaurizantes, sed iram. Non ergo mortuis nova merita comparantur, cum pro eis boni aliquid impendunt sui, sed eorum præcedentibus consequentia ista redduntur: & ideo istam finiens quisque vitam, nisi quod meruit in ipsa, non poterit habere post ipsã.

Quando celebramus dies fratrum defunctorum, in mente habere debemus & quid ſperandum, & quid timendum ſit: ſecundum hoc enim ſperandum eſt, quia *preciosa in conſpectu Domini mors ſanctorum ejus*: ſecundum hoc autem timendum eſt, quia *mors peccatorum peſſima.* *Pſal.115.* *Pſal,33*

Et bona quæcumque hîc fuerint homini in comparatione bonorum æternorum nulla ſunt: & mala quæcumque in hac vita experitur homo, in comparatione ignis æterni nec comparanda ſunt.

Quoniam mors amara eſt, per illam tranſivit & Dominus. Pereat contriſtatio, ubi eſt tanta conſolatio.

Quiſquis es amator longæ vitæ, eſto potius bonæ vitæ: nam ſi male vivere volueris, longa vita non erit verum bonum, ſed erit longum malum. *Quinquaginta homiliarum lib. homil. 1.*

Villam vis potius habere bonam, quàm vitam. Cupis certe ut longa ſit, licet mala ſit: imo fac ut bona

ſit, & noli timere ne brevis ſit.

Quid eſt redimere tempus, niſi çum opus eſt etiam detrimento temporalium commodorum ad æterna quærenda & capeſcenda ſpatia temporis comparare?

Hom. 2. Omnes amatores luxuriæ, & qui çum delectatione faciunt iniquitatem, peccata ſua poſt dorſum projiciunt: ſi vero aliquid boni caſu aliquo vel per quamlibet occaſionem fecerint, ante ſe ponunt, & inde aſſidue gloriantur, & dicunt: Ego illum liberavi, ego illi benefeci, ego illi tantum dedi. Qui vero de animæ ſuæ ſalute attentius cogitant, è contrario faciunt. Bona quæcumque fecerint, poſt dorſum projiciunt: mala autem quæcumque ſubrepſerint ante oculos ponunt, & de ipſis in præſenti ſeculo erubeſcunt.

Non uſque ad te dives eſt Deus: quod enim tibi dedit, crede quod etiam & aliis & velit & poſſit dare.

Rogo vos, fratres chariſſimi,

quantum possumus cum Dei adjutorio studeamus, ut quomodo Deum laudamus vocibus, sic etiam bonis moribus collaudemus. Melius est enim tacere & benefacere, quàm Deum laudare & peccata committere. Qui enim laudat Deum vita simul & lingua, vocibus pariter & bonis operibus dupliciter in se provocat gratiam Dei.

Vere novit recte vivere, qui recte novit orare. *Homil 4.*

Bonitas sine disciplina delictorum mater est: & disciplina sine bonitate tristis quædam amaritudo vivendo.

Filio quem diligit irasci potest pater: irascitur & amat, potest dici: odit & amat, non potest dici. *Homil. 5.*

Homo & peccator duo nomina sunt. In ipsis duobus nominibus quære quid fecit Deus, quære quid suaserit Diabolus. Homo à Deo factus est, peccatum suadente Diabolo ab homine factum est. *Homil. 6.*

Quis horum duorum te perſequitur? Si enim tu bene vivis, non te perſequitur niſi qui malus eſt. Non ergo homo, ſed peccator te inſequitur. Roga pro homine, ut extinguat Deus peccatorem. Cum enim mortuus fuerit peccator, nihil tibi adverſabitur: imo conſolabitur vivens qui te in peccatis mortuus perſequebatur.

Duæ ſunt eleemoſynæ: una cordis, una pecuniæ: eleemoſyna cordis eſt, dimittere & à quo læſus es. Si in cellario vel in horreo non habes quod dare poſſis, de theſauro cordis tui potes proferre quod tribuas. Charitatis eleemoſyna ſine terrena ſubſtantia ſufficit tibi. Illa vero quæ corporaliter datur, ſi non benigno corde tribuitur, omnino non ſufficit.

Homil. 7. Si pro ſe unuſquiſque vix poterit in die judicij rationem reddere, quid de Sacerdotibus futurum eſt, à quibus ſunt omnium animæ requirendæ?

Quàm

Quàm parvo conſtat regnum cælorum, quàm vili precio tanta poſſeſſio proponitur! Proponitur enim in terra, quod poſſideas in cælo: proponitur in tempore, quod poſſideas in æternum. *Homil.* 8.

Suſtine Dominum. Suſtinuit te, ſuſtine illum. Suſtinuit te ut mutares vitam tuam malam, ſuſtine illum ut coronet vitam tuam bonam. Nam & ſi non ſuſtineret, non eſſet cui daret. Suſtine ergo, quia ſuſtentatus es. Longa erit forte vita tua? Si longa erit, bona ſit. Quare vis habere longam vitam & malam? Aut longa non erit, & illa longa debet delectare, quæ non habet finem. Aut longa erit, & quid male erit, quia diu bene vixiſti? *Homil.* 11.

Dominus mortem minatur impijs, nequiſſimis, fraudatoribus, ſceleratis, adulteris, voluptatum inquiſitoribus, ſui contemptoribus, detractoribus, murmuratoribus, & mores ſuos non mutantibus: Dominus illis mortem mi-

natur, gehennas minatur, interitum ſempiternum minatur. Quid volunt? Ut ego promittam quod ille non promiſit.

Homil. 12. Suadere & ſollicitare (Diabolus) poteſt, cogere omnino non poteſt.

Non Diabolus cogendo vel ſuadendo nocet, nec extorquet à nobis conſenſum, ſed petit. Nos Diabolum non adjuvemus, & vincimus. Dat quidem ille conſilium, ſed Deo auxiliante noſtrum eſt vel eligere, vel repudiare quod ſuggerit.

Homil. 13. Deus diem mortis incertum ſalubriter conſtituit.

Diem vltimum ſuum quiſque ſalubriter cogitet.

Miſericordia Dei eſt, quia neſcit homo quando moriatur.

Latet ultimus dies, ut obſerventur omnes.

Honor te quærere debet, non ipſum tu.

Difficile eſt ut non ſit ſuperbus qui dives eſt. Tolle ſuperbiam,

divitiæ non nocebunt.

Omnes pauperes quos videtis, potuit illos Christus pascere quomodo per corvum Heliam pavit: tamen & ipsi Heliæ substraxit corvum ut à vidua pasceretur, non Heliæ præstitit, sed viduæ.

Quando Deus pauperes facit, quia ipse non vult ut ipsi habeant, quando facit pauperes, probat divites.

Eleemosynæ illis prosunt qui vitam mutaverunt. Das enim Christo egenti, ut peccata tua redimas præterita. Nam si ideo illi das ut liceat tibi semper impune peccare, non Christum pascis, sed judicem corrumpere conaris. Ergo ad hoc facite eleemosynas ut vestræ orationes exaudiantur, ut adjuvet vos Deus ad vitam melius commutandam. Et qui commutatis, eandem vitam in melius commutate, ut per eleemosynas & orationes deleantur mala vestra præterita, & futura bona veniant sempiterna.

Homil. *15.* Congaude illi cui Deus aliquam gratiam dedit, & potes in illo quod in te non potes. Ille habet forte virginitatem, ama illum, & tua est. Ille potest satis vigilare, si non invides, tuum est studium ejus. Hoc ideo quia in illo tu es. Per proprietatem enim non es tu, per charitatem tu es.

Homil. *16.* Non sola lingua vestra & vox laudet Deum: sed & conscientia vestra, vita vestra, facta vestra. Etenim laudamus modo in Ecclesia, quando congregamur. Cum quisque discedit ad propria, quasi cessat laudare Deum. Non cesset bene vivere, & semper laudat Deum. Tunc desinis laudare Deum, quando à justitia & ab eo quod illi placet declinas.

Facta de cogitatione procedunt, nec quisquam potest aliquid facere, aut ad aliquid faciendum membra movere, nisi primo processerit jussio cogitationis.

Non tantum ad sonum attendite quando laudatis: Deum toti lau-

date. Cantet vox, cantet vita, cantent facta.

Hîc extinguamus mortem, moriendo peccatis. Hîc vitam vitæ meritis comparemus.

Omnia male facta eleemoſynis redimi nolite ſic intelligere, ut intelligunt quidam perverſe. Eleemoſynæ enim poſſunt tibi prodeſſe ad delenda peccata præterita, ſi mores mutaveris. Si autem in eiſdem malis perſeveraveris, eleemoſynis tuis non corrumpis judicium Dei. *Homil. 19.*

Veri & germani eſtote Chriſtiani: nolite imitari nomine Chriſtianos, opere vanos. *Homil. 20.*

(Filij veſtri) ſi forte in ipſo circo aliqua ex cauſa expaveſcant, continuo ſe ſignant, & ſtant illic portantes in fronte, unde abſcederent ſi hoc in corde portarent. Omnis qui ad aliquod malum opus currit, ſi forte pedem impegerit, ſignat os ſuum, & neſcit quod includit potius Dæmonem quàm excludit. Tunc enim bene

ſe ſignaret, & Diabolum de corde ſuo expelleret, ſi ſe ab illo opere nefario revocaret.

ſer. 24. Sicut futura peccata negligendo juſtitiam committuntur, ita præteritam injuſtitiam defendendo firmantur: ſicut ne fiant proſpicit charitas, ita facta delet humilitas.

Periculum meum eſt ſi attendam quomodo laudatis, & diſſimulem quomodo vivatis. Ille enim novit ſub cujus oculis loquor, imo ſub cujus oculis cogito, non me tam delectari laudibus popularibus, quàm ſtimulari & angi quomodo vivant qui me a udant.

Laudari à male viventibus nolo, abhorreo, deteſtor, dolori mihi eſt, non voluptati. Laudari autem à bene viventibus, ſi dicam nolo, mentior: ſi dicam volo, timeo ne ſim inanitatis appetentior quàm ſoliditatis. Ergo quid dicam? Nec plene volo, nec plene nolo. Non plene volo, ne

in laude humana pericliter : non plene nolo, ne ingrati ſint quibus prædico.

Quanta ſollicitudine obſervamus, quando nobis corpus Christi adminiſtretur, ut nihil ex ipſo noſtris manibus in terram cadat: tanta ſollicitudine obſervemus ne verbum Dei, quod nobis erogatur, dum aliquid aut cogitamus aut loquimur, de corde noſtro pereat. *Homil.* 26.

Neque ad Baptiſmum Chriſti, in quo omnia peccata delentur, quiſquam bene accedit, niſi agendo pœnitentiam de vita priſtina. Nemo enim eligit vitam novam, niſi quem veteris pœnitet. *Homil.* 27.

Fuerunt qui dicerent quibuſdam peccatis non dandam eſſe pœnitentiam, & excluſi ſunt de Eccleſia, & hæretici ſunt facti.

Nolo eſſe ſalvus ſine vobis. *Homil.* 28.

Omne peccatum conſuetudine vileſcit, & fit homini quaſi nullum ſit.

Quod non dolet, non pro ſano

habendum, ſed pro mortuo computandum eſt. Quando aliquid pungitur, & dolet, aut ſanum eſt, aut eſt in illo ſpes aliqua ſanitatis. Quando autem tangitur, pungitur, vellicatur, nec dolet, pro mortuo habendum eſt, aut de corpore præcidendum.

Excommunicare, de Eccleſia projicere pigri ſumus. Aliquando enim timemus ne ipſo flagello pejor fiat qui cæditur.

Qui vult audiri à Deo, prius audiat Deum.

Homil. Deus nos quærit, non noſtra.

29. Sacrificium Chriſtiani eſt eleemoſyna in pauperem. Hinc enim fit Deus peccatis propitius.

Demus in uſuram, ſed Deo, non homini.

Operarius in agro fructum ſperans, minus ſentit laborem.

Homil. Non poteſt quiſque apparere

10. contemptor niſi ejus rei cujus poſſeſſor effectus eſt. Nam & qui non habent, poſſunt iſta contemnere, ſed utrum fingant, an

vere

vere contemnant, Deus videt qui cordis inſpector eſt.

Si ſcire vis aurum poſſe bene haberi, habent & boni: non eos per aurum bonos eſſe, habent & mali. Si ſcire vis quàm non ſit miſeria paupertas, ſunt quidam pauperes beati: ſunt quidam pauperes miſeri, ſi ſcire vis quàm non ſit beatitudo paupertas. Si ſolis bonis in poteſtate daretur aurum & argentum, recte putaretur magnum aliquid bonum. Rurſus ſi ſolis malis deeſſet, videretur magna pœna paupertas. Si ſolis bonis deeſſet, videretur ſumma beatitudo paupertas.

Divina non poſſunt fieri niſi à Deo. *Homil. 32.*

Ut panem Angelorum manducaret homo, Dominus Angelorum factus eſt homo.

Trinitas eſt, ſed una operatio: una majeſtas, una æternitas, & opera eadem trinitatis.

Cor exultat in Deum, quando honeſta & ſancta cogitat, quan- *Homil. 33.*

do religioſa opera & Deo placita concupiſcit. Caro autem exultat quando pudica eſt, quando ſobria, quando nulla impuritate polluta, quando nullis immundis actibus ſordidatur.

Nulla caro exultat in Deum, quæ vivit in vitio.

Homil. 34. Amor mundi adulterat animam.

Amatus es prius, ut fieres dignus qui amareris.

Poteſt quiſque vendere omnia ſua & dare pauperibus, nondum mitis, nondum humilis corde.

Homil. 35. Non potuit mors mori niſi in vita. Non moritur amaritudo niſi in dulcedine: non moritur frigus niſi in calore: non eſt mortua mors, niſi in vita. Quid eſt vita? Chriſtus noſter. Sed vita induta erat mortem. Reſurrexit tota vita. Ut occideret mortem, veſtitus erat mortem.

Homil. 36. Radix non eſt pulchra, ſed intus habet vim pulchritudinis ſuæ.

Attendis arborem pulchram,

amœnam, folijs virentem, fructibus opulentam laudas. Delectat aliquid de fructu capere, ſub umbra ejus ſedere, & requieſcere ab æſtu. Laudas totam illam pulcritudinem. Si radix oſtendatur tibi, nulla pulcritudo in ea eſt. Noli contemnere quod abjectum eſt, unde proceſſit quod miraris.

Ubi aut amator perit, aut quod amatur, non eſt amandum. Sed quid eſt amandum? Quod nobiſcum poteſt eſſe in æternum. *Homil.* 37.

Omnis voluptas ſeculi tranſitoria eſt.

Amor amore impeditur. Amor noxius recedat, & amor utilis ſuccedat. Vis ut intret mel, unde acetum nondum fudiſti? Funde quod habes, ut capias quod non habes.

Amores omnes & dilectiones prius ſunt in hominibus de ſe, & ſic de alia re quam diligunt. Si diligis aurum, prius te diligis. Dilectio unicuique à ſe incipit, & non poteſt niſi à ſe incipere: &

nemo monetur, ut ſe diligat.

Quicquid amaveris, aut hoc eſt quod tu, aut inferius te eſt, aut ſuperius te eſt. Si inferius te eſt quod amas, ad conſolandum ama, ad tractandum ama, ad utendum ama, non ad illigandum.

Homil. 38. Si non debes propter quædam toleranda diſſoluere hominis amicitiam, Dei amicitia quibus rebus debes cogi ut diſſoluatur à te?

Incipe Deum amare, & amabis hominem propter Deum.

Cavere debemus ne ad præmium diligamus Deum.

Anima deſerto creatore amans creaturam adultera eſt.

Securitas eſt, quia amicum gratis amas, & adhoc eum amas, ut tecum amet Deum.

Ægritudo perpetua eſt in iſta fragilitate carnis. Medicamentum famis cibus eſt: medicamentum ſitis potus eſt: medicamentum ſeſſionis deambulatio eſt;

medicamentum deambulationis ſeſſio eſt : medicamentum fatigationis dormitio eſt : medicamentum dormitionis vigilia eſt.

Perfecta miſericordia eſt, ut ante occurrat eſurienti cibus, quàm roget mendicus. Non enim eſt perfecta miſericordia quæ prebus extorquetur. *Homil. 39.*

Feſtina pietas ſuccurrere, ne audias rogantem, ne quod debetur Domino, vindices tibi. Ecce venit tibi pluvia antequam roges: deſcendit ubertas nocte dum ſtertis, dum adhuc in lecto es : ex præcepto vigilat dies, excubant elementa, fructus te neſciente effunduntur : & tu homo, modicus eſt panis, & precibus vendis. Nec rogauerunt quatuor millia Ieſum in deſerto ſeptem panes & pamos piſces, ut infinita agurina pranderent.

Date præcipue ad domeſticos fidei : date omnibus, ne cui non dederitis, ipſe ſit Chriſtus.

Sunt perſonæ humiles per ordi- *Homil. 40.*

nem seculi hujus à quibus si petamus veniam, extolluntur in superperbiam: hoc est quod dico: aliquando dominus peccat in servum suum, quia si ille dominus est, ille servus; ambo tamen alieni servi sunt, quia ambo Christi sanguine redempti sunt. Tamen durum videtur ut etiam jubeam, hoc præcipiam ut si forte dominus homo peccat in servum suum injuste litigando, injuste cædendo, dicat ille: ignosce mihi, da mihi veniam. Non quia non debet facere, sed ne ille incipiat superbire, si pœniteat eum. Quid ergo? ante oculos Dei pœniteat eum, ante oculos Dei puniat cor suum: & si non potest dicere servo suo, quia non oportet, da mihi veniam; blande illum alloquatur. Blanda enim appellatio, veniæ est postulatio.

Forte cogitando loquimini & dicitis vobis: Volo concordare: sed ille me læsit, ille in me pecca-

cavit, & non vult veniam postulare. Quid ergo dicturus sum? Vade ad illum, & tu pete veniam. Absit. Nolo mentiaris. Nolo dicas, da mihi veniam, qui te nosti non peccasse in fratrem tuum. Quid enim prodest tibi cum tu fueris accusator tuus? Quid expetis tibi ignosci ab eo quem non læsisti, aut in quem non peccasti? Nihil tibi prodest: nolo facias, nosti bene, discussisti, scisti quia in te peccavit, non tu in illum. Scis hoc, inquam, in tua scientia, scit tua scientia, noli venire ad fratrem tuum, qui in te peccavit, & ultro ab illo petere veniam. Debent inter vos esse alij pacifici, qui illum objurgent, ut à te prius veniam petat: tu tantum paratus esto ex toto corde dimittere. Si paratus es dimittere, jam dimisisti, habes adhuc quod ores. Ora pro illo ut petat à te veniam, quia scis ei nocere, si non petat. Ora pro illo ut petat, dic Domino

in oratione tua: Domine, ſcis me non peccaſſe in illum fratrem meum, ſed illum potius peccaſſe in me, & obeſſe illi quod peccavit in me, ſi veniam non petat à me: ego bono animo peto ut ignoſcas ei.

Hom.40 Pœnitentes, pœnitentes, pœnitentes, ſi tamen eſtis pœnitentes, & non eſtis irridentes, mutate vitam.

Si pœnitens es, pœnitet te: ſi non pœnitet, pœnitens non es. Si ergo pœnitet, cur facis quod male feciſti? Si feciſſe pœnitet, noli facere: ſi adhuc facis, certe non es pœnitens.

Vis te de dubio liberare? vis quod incertum eſt evadere? Age pœnitentiam, dum ſanus es: tene certum, dimitte incertum. Si vis agere pœnitentiam ipſam tunc quando peccare non potes, peccata te dimiſerunt, non tu illa.

Hom.42 Invenimus Patrem in cælis, attendamus quemadmodum vivamus in terris; ſic enim debet vive-

te qui invenit talem patrem, ut dignus ſit venire ad ejus hereditatem.

Vel mortem time, ſi non times peccatum. Nondum times peccatum? Time quo perducit peccatum. Dulce eſt peccatum, ſed amara eſt mors.

Ipſa infelicitas hominum propter quod peccant, morientes hîc dimittunt; & ipſa peccata ſecum portant. Peccas propter pecuniam, hîc dimittenda eſt: peccas propter mulierem, hîc dimittenda eſt.

De minutis guttis flumina implentur.

Si contemnitur ſentina, mergitur navis.

Una eſt eleemoſyna, quæ fit de corde, quando fratri tuo dimittis peccatum: altera eleemoſyna quæ fit de ſubſtantia, quando panem pauperi porrigis. Ambas fac, ne ſine una ala remaneat oratio tua.

In Eccleſia ad altare Dei quotidie dicitur iſta Oratio Dominica, & audiunt iſtam fideles.

Bona est repetitio, ne subrepat oblivio.

Commemora fidem tuam, inspice te, sitque speculum tibi symbolum tuum: ibi te vide, si credis omnia quæ te credere confiteris, & gaude quotidie in fide tua.

Hom. 44 Angelus Gabriel nunciat Joannem, idem ipse Angelus Gabriel nunciat Dominum nostrum Jesum Christum.

Hom. 46 Quid celat peccator, quod Deo teste commisit? Quid erubescit fateri, quoniam peccatis non erubuit coinquinari?

Odit supplicium, qui ante præstitit ne condemnet.

Gaudeat Christianus in adversis, quia aut probatur si justus est, aut si peccator est emendatur.

Vigilet in pace cautior, qui in bello vigilare consuevit.

Exiguum, momentaneum, & breve est quicquid boni malive in seculo est.

Quanto hostis vigilat ut noceat, tanto Christianus vigilet ut vin-

cat;facit enim hostis securos quos cupit esse captivos.

Pugna cum Diabolo, qui armatus es Christo.

Contemne præsentia, ut percipias futura: temporalia sperne, ut æterna possis acquirere.

Talis debet esse ipsa misericordia quæ suscipiatur, non quæ repellatur: quæ peccata purget, non quæ animam gravet: de bono, de justo labore, de propria facultate, non de pauperum egestate. *Hom.47*

Unde semper flagellamur in frugibus, nisi quia bene egentibus non facimus?

Quod in radice celatur, in ramis delectatur; & quod latet in foliis, enitet in pomo. *Hom.48*

Si Dei est pauperem facere, Dei est & ditare.

Hoc tollit fiscus, quod non accipit Christus: noluimus partiri cum Deo decimas, modo autem tollitur.

Si nihil misisti sursum, non habes quod ibi quæras: si aliquid

illuc misisti, habes quod ibi quæras.

Quem quæris unde crescat pecunia? Hominem quæris, qui quando accipit gaudet, quando reddit plangit: ut accipiat precatur, ne reddat calumniatur. Vis fœnerari, vis minus dare, & plus accipere? Ecce mihi da, dicit Dominus: ecce accipio minus, dabo plus.

Hom. 49 Impudico marito non debet mulier pudicitiam, sed Deo illam debet, Christo illam debet. Non propter illum faciat qui non meretur, sed propter Christum faciat.

Pœnitentibus dico, Quid est quod agitis? Scitote, nihil agitis. Quid prodest quia humiliamini, si non mutamini?

Inde est misera conditio mea, quia plerumque cogor adulteros nosse, castos nosse non possum: in occulto est unde gaudeam, in publico est unde torquear.

Hom. 50 Aliud est se levare ad Deum, aliud est se levare contra Deum:

qui ante illum ſe projicit, ab illo erigitur; qui adverſus illum ſe erigit, ab illo projicitur.

Omnis qui jam arbiter voluntatis ſuæ conſtitutus eſt, cum accedit ad ſacramenta fidelium; niſi eum pœniteat vitæ veteris, novam non poteſt inchoare. Ab hac pœnitentia cum baptizantur, ſoli parvuli ſunt immunes.

Vitam æternam, incorruptibilem, immortalemque nullus deſiderat, niſi eum vitæ hujus temporalis corruptibilis mortaliſque pœniteat.

Nos à communione prohibere quemquam non poſſumus, quamvis hæc prohibitio nondum ſit mortalis, ſed medicinalis, niſi aut ſponte confeſſum, aut in aliquo ſive ſeculari, ſive eccleſiaſtico judicio nominatum atq; convictum.

An forte attendunt multos etiam in ipſis honoribus eccleſiaſticis Prępoſitorum & Miniſtrorum non congruenter vivere ſermonibus & ſacramentis quæ per eos populis

administrantur? O miseros homines, qui hos intuendo Christum obliviscuntur, qui tanto ante prædixit ut legi Dei potius obtemperarent, quàm imitandi videantur illi qui ea quæ dicunt non faciunt, & traditorem suum tolerans usque in finem etiam ad evangelizandum cum cæteris misit. Tam sunt isti absurdi & præposteri & miseri, qui Præpositorum suorum malos mores imitari eligunt, quàm per eos prædicta Domini præcepta servare, quàm si quisquam viator remeandum sibi esse existimet in itinere cum viderit milliaria lapidea litteris plena viam docere, & non ambulare.

Non sufficit mores in melius commutare, & à factis malis recedere, nisi etiam de his quæ facta sunt satisfiat Deo per pœnitentiæ dolorem, per humilitatis gemitum, per contriti cordis sacrificium, cooperantibus eleemosynis.

Fac incertum esse utrum ignoscat Deus. Quid perdit cum sup-

plicat Deo, qui ſalutem perdere non dubitavit, cum offenderet Deum? Quis enim certus eſt quod etiam Imperator ignoſcat? Et tamen pecunia funditur, maria tranſmeantur, procellarum incerta ſubeuntur, & pene ut mors vitetur, mors ipſa ſuſcipitur. Supplicatur deinde per homines homini, ſine dubitatione fiunt iſta, cum ſit dubium quo fine proveniant: & tamen ſunt certiores claves Eccleſiæ quàm corda regia. Quibus clavibus quodcumque in terra ſolvitur, etiam in cælo ſolutum eſſe promittitur. *Matth. 16.*

Nullo temporalis mortis periculo mors æterna vitatur.

In Chriſti corpore vita noſtra conſiſtit, ſicut ipſe dixit: *Niſi manducaveritis carnem filij hominis, & biberitis ejus ſanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Mutet ergo vitam, qui vult accipere vitam: nam ſi non mutet vitam, ad judicium accipiet vitam, & magis ex ipſa corrumpitur quàm ſanetur, *In Dominica I. Adventus ſerm.*

magis occiditur quàm vivificetur.

In Nat. Domini Iesu Ch. serm 3.

Qui bonus est, affectuose orat; qui peccator, devotissime supplicat.

Pœnitentiam certam non facit, nisi odium peccati, & amor Dei.

Quando sic pœnites, ut tibi amarum sapiat in animo quod ante dulce fuit in vita, & quod te prius oblectabat in corpore, ipsum te vincat in mente, jam tunc bene ingemiscis ad Deum.

Sunt multi qui vovent, alius pallam, alius oleum, alius ceram ad luminaria noctis, alius ut vinum non bibat per aliquot annos, alius ut jejunia certo tempore faciat, alius ut carnes non comedat. Non est istud votum optimum & perfectum. Adhuc melius volo. Non eligit Deus nec speciem tuam, nec oleum tuum, nec jejunium tuum; sed hoc quod te redemit, ipsum offer, hoc est animam tuam. Si quis crudelem se sentit, misericordiam animi voveat Deo. Si quis superbum, voveat humilitatem: si quis

quis vino nimium eſt deditus, ſobrietatem voveat.

Quando videmus quemquam miſerum aut egenum, veniat in mentem miſericordia Dei: quando captivum, veniat nobis in mentem redemptio Domini noſtri.

Non perdamus præmium ſanguinis Chriſti.

Elegit ſibi in qua naſceretur diem, qui fecit omnem diem. *Ser. 18.*

Natus eſt Chriſtus, Deus de Patre, homo de Matre: de Patris immortalitate, de Matris virginitate: de Patre ſine Matre, de Matre ſine Patre: de Patre ſine tempore, de Matre ſine ſemine: de Patre principium vitæ, de Matre finis vitæ. *Ser. 19.*

Precioſum ſibi eſſe hominem precij ipſius magnitudine (Dominus) perdocuit. *De Epiphania ſerm. 14.*

Quàm gravis ſit peccati & quàm dura conditio, prodit remedij magnitudo.

Quanta malorum diſcuſſio erit qua damnabuntur, ſollicitudo indicat qua redimuntur.

Omni diligentia atque vigilantia caveamus, ne vulneret Diabolus quod ſanavit Deus.

Serm. 5 Sacramentum præſentis feſti oportet in nobis eſſe perpetuum, quod utique ſine fine celebrabitur, ſi in omnibus actibus noſtris Dominus Chriſtus appareat.

Dominica infra Oct. Epiph. ſerm. 2. (Chriſtus) aquas conſecrat, dum baptizatur: terram ſanctificat, dum ſepelitur: cæleſtia glorificat, dum aſcendit ad cælum, & ſedet ad dexteram Patris.

Dom. 2. poſt Epiphaniã ſerm. 2. Magnæ ſunt divitiæ charitatis, ſine qua dives pauper eſt, & cum qua pauper dives eſt.

Quid dulcius Deo?

Dom. 5. poſt Epiphaniã ſerm. 2. Moriendum eſt mundo, ut Deo in ſempiternum vivamus.

Tunc non peccabimus non ſolum factis, ſed nec concupiſcentiis, cum illam faciem viderimus, quæ vincit omnes concupiſcentias: tam enim dulcis eſt, tam pulchra, ut illa viſa nihil aliud poſſit delectare.

Præſentia mala ſine dubio tran-

ſitoria ſunt, aut per nos tranſeunt, aut nos per illa tranſimus, aut tranſeunt nobis viventibus, aut dimittuntur nobis morientibus. *Dom. Septuageſima ſerm. 1.*

Leva cor in cælum, ne putreſcat in terra.

Nihil nobis ſit omne quod tranſit.

Si igne cæli non accenderis, ignem time gehennarum: ſi non amas eſſe in regno, time eſſe in camino ignis ardentis inextinguibilis. *Feria 4. Dom. Sexag. ſerm. 1.*

Vere beatus eſt qui & recte credendo bene vivit, & bene vivendo fidem rectam cuſtodit. *Dom. Quinquageſ. ſerm. 1.*

Nobilior eſt generatio ſpiritalis quàm carnalis.

Iſte mundus aut ridet nos, aut ridetur à nobis. *Feria 4. in capite jejunij ſerm. 1.*

a Dies ſanctæ Quadrageſimæ, ſi diligenter attendimus vitam præſentis ſeculi ſignificant, ſicut & dies Paſchæ æternam beatitudinem præfigurant. *a Ser. 2.*

Sicut ſine minutis peccatis nullus unquam aut fuit aut eſſe pote-

rit; ita ſine capitalibus criminibus donante & auxiliante Deo, omnimodis eſſe poſſumus & debemus.

Ante omnia in diebus jejuniorum quod ſolebamus prandere, pauperibus erogemus, ne forte aliquis ſibi ſumptuoſas cœnas & exquiſitis ſaporibus epulas ſtudeat præparare, & corpori ſuo magis commutaſſe, quàm ſubtraxiſſe ciborum abundantiam videatur.

Caro velut ancilla gubernetur, & anima tanquam domina legitima reficiatur.

Si aliquis ita fuerit occupatus, ut ante refectionem Scripturæ divinæ non poſſit inſiſtere, non eum pigeat in convivi olo ſuo aliquid de divinis Scripturis relegere.

Si ſola caro reficitur, & anima Dei verbo non paſcitur, ancilla ſatiatur, & domina fame torquetur.

Feria 5. Dom. Quinquageſ. ſerm. 1. Parum eſt peccatorem pœnitere, niſi pœnitentiam peregerit.

Pœnitentia quæ ab infirmo petitur, infirma eſt.

Pœnitentia quæ à moriente tan-

tum petitur, timeo ne ipſa moriatur.

Tu autem cum orabis, intra in cubiculum, & clauſo oſtio,&c. Cubiculum quod nominat, non occultam domum oſtendit, ſed cordis noſtri ſecretum. Parum eſt intrare in cubiculum, ſi oſtium patet importunis, per quod oſtium ea quæ foris ſunt improbe ſe immergunt, & interiora noſtra aperiunt. Foris autem dicimus eſſe omnia temporalia & viſibilia, quæ per oſtium, id eſt, carnalem ſenſum in cogitationes noſtras penetrant, & turbæ vanorum phantaſmatum orantibus obſtrepunt. Claudendum eſt ergo oſtium, id eſt, carnali ſenſui reſiſtendum, ut oratio ſpiritalis dirigatur ad Patrem, quæ ſit in intimo cordis, ubi oratur Pater in abſconſo. *Feria 6. Dom. Quinquageſ. ſerm. 1.*

Qui vult orationem ſuam volare ad Deum, faciat illi duas alas, id eſt, eleemoſynam & jejunium.

Aliis diebus jejunare remedium eſt, aut præmium: in Quadrage- *Sabbato post Do-*

minicā Quinquages. serm. 1.

ſima vero non jejunare, peccatum eſt.

Qui jejunare non prævalet ſecretius ſibi ſoli, aut ſi eſt alius infirmus cum ipſo in domo ſua præparet quod accipiat, & illos qui jejunare prævalent ad prandium non invitet: quia ſi hoc fecerit, non ſolum Deum, ſed etiam homines poſſunt intelligere illum non pro infirmitate non poſſe, ſed pro gula jejunare non velle. Sufficiat illi quod ipſe ieiunare non prævalet, & magis cum gemitu, & ſuſpirio, & animi dolore manducet pro eo quod aliis ieiunantibus ille abſtinere non poteſt. Pro eo tamen quod non poteſt ieiunare, amplius debet erogare pauperibus, ut peccata quæ non poteſt ieiunando curare, poſſit in eleemoſynis dando redimere.

Si poſſibilitas non fuerit ieiunandi, eleemoſyna ſufficit tibi ſine ieiunio: ieiunium vero ſine eleemoſyna omnino non ſufficit.

Jejunium ſine eleemoſyna nul-

lum bonum est, nisi forte ita sit aliquis pauper, ut non habeat omnino quod tribuat.

Laboriosum & fastidiosum nobis est in pauperibus recipere Christum in patriam nostram: timeo ne nobis ille vicem reddat in cælo, & non nos recipiat in beatitudinem suam. Contemnimus illum in mundo, timeo ne nos ille iterum contemnat in cælo.

Volumus bene ieiunare à cibis? ante omnia ieiunemus & à vitiis. *Dom. 1. in Quadrages. serm. 1.*

Qui ista vitamus, quæ aliquando licent, in primis peccata fugiamus, quæ omnino nunquam licent.

O benignissimum Dominum ad edomandam hominum avaritiam, qui sibi dari dicit, quod vel minimo pauperi donatum fuerit.

Sic ieiuna, ut in alio manducante prandisse te gaudeas. *Ser. 2.*

Qui seipsum accusat in peccatis suis, hunc Diabolus non habet iterum accusare in die iudicii: si tamen confitens pœnitendo deleat quæ fecit, nec iterum renovet quæ egit. *Ser. 3.*

Quomodo poteſt Medicus vulnus ſanare, quod ægrotus oſtendere erubeſcit?

Qui peccata ſua occultat, & erubeſcit ſalubriter confiteri, Deum quem iudicem habebit, habebit & ultorem.

Optime ſe iudicet homo in hac vita, ne iudicetur à Domino damnatione perpetua.

Duplicem habere debet fletum in pœnitentia omnis peccator, ſive quia per negligentiam bonum non fecit, ſeu per audaciam malum perpetravit: quod enim oportuit non geſſit; & quod non oportuit egit.

Pœnitentia non annorum numero cenſetur, ſed amaritudine animi.

Feria 2. post Dominicā 1. Quad. ſerm. 1. Solet fieri ut dum maiora timentur, minora celerius caveantur.

Redde mihi vitam tuam, pro qua meam dedi.

Non ſanitati, non ætati credendum eſt: non in remedium ſalutis ſuæ ſemper tardandus eſt, qui vitæ ſuæ ſemper incertus eſt.

Vera

Vera conversio sine vestimentorum commutatione sufficit sibi. Vestimenta vero religiosa sine bonis operibus non solum remedium habere non poterunt, sed etiam justum Dei judicium sustinebunt.

Si mutaveris, (Deus) mutatur. *Feria 3. post Dom. Passionis. serm. 1.*

Mutatus est reus, mutavit judex sententiam. Noli terreri. Sententia mutata est, non justitia. Justitia integra manet, quia mutato debet parcere, quia justus est. Quomodo pertinaci non parcit, sic mutato parcit.

Si non te invenit dies ultimus victorem, inveniat vel pugnantem, non captum & addictum.

Qui nos tanto precio redemit, non vult perire quos emit.

Si quod promisit non amamus, saltem quod minatus est timeamus.

Cum oramus, ipsi cum Deo loquimur: cum vero legimus, Deus nobiscum loquitur. *Feria. 5. post Dom. Passionis. Serm. 1.*

Geminum confert donum lectio sanctarum scripturarum, sive quia intellectum mentis erudit, seu quia à mundi vanitatibus abstractum hominem ad amorem Dei perducit.

Sicut ex carnalibus escis nutritur caro, ita ex divinis eloquijs interior homo nutritur & pascitur.

Ille beatissimus est, qui divinas scripturas vertit in opera.

Feria 2. post Dom. Palmarum. Serm.3. Quàm felices sumus, qui Dominum nostrum Patrem invenimus! [a] Honor est Paradisi talem habere Dominum, qui & latronem dignum facere possit delicijs & possessione Paradisi.

a *Feria 6. in Parasceve. Serm.1.* Cælum in nobis anima est, terra in nobis corpus est.

Sabbato in vigilia Pascha. Serm.4. [b] Aliud meremur, aliud speramus. Meremur mala, speramus bona.

b *Feria 5. Pascha ser.* Stercus non loco suo positum, immundam facit domum: loco suo positum, fertilem facit agrum.

Prius tibi displiceat quod es, ut

possis esse quod non es.

Sunt quidam observatores Quadragesimæ, deliciosi potius quàm religiosi, exquirentes novas suavitates magis quàm veteres concupiscentias castigantes, qui preciosis copiosisque apparatibus fructuum diversorum quorumlibet varietates & sapores superare contendunt. Vasa in quibus coctæ sunt carnes, tanquam immunda formidant. Jejunant ut non solitam temperando minuant edacitatem, sed ut immoderatam differendo augeant aviditatem. Nam ubi tempus reficiendi advenerit, optimis mensis tanquam pecora præsepibus irruunt, ventresque distendunt, artificiosis & peregrinis condimentorum diversitatibus tantum capiunt manducando, quantum digerere non sufficiunt jejunando. Sunt etiam qui vinum ita non bibunt, ut aliorum expressionem pomorum aliosque sibi liquores non salutis causa, sed jocunditatis exquirant, tanquam *Dom. in Octavis Pascha Serm. I.*

non ſit Quadrageſima piæ humiliationis obſervatio, ſed novæ voluptatis occaſio.

Petat veniam, qui fecit injuriam: det veniam, qui accepit injuriam.

Serm. 2. In homine carnali tota regula eſt intelligendi, conſuetudo cernendi. Quod ſolent videre, credunt, quod non ſolent, non credunt.

Serm. 8. Hoc eſt unde Chriſtianos decipit inimicus, per carnis illecebras, cum eis facit leve quod grave eſt, lene quod aſperum eſt, dulce quod amarum eſt.

Satanas facit leve, quod Chriſtus oſtendit grave.

Feria 3. in Rogationibus. Serm. 1. Imple miſerationis officia, & ſanctificaſti jejunia.

[a] Aſcendamus cum Chriſto interim corde.

a In feſto Aſcenſionis. Serm. 2. Scire debemus quia cum Chriſto non aſcendit ſuperbia, non avaritia, non luxuria, nullum vitium noſtrum aſcendit cum Medico noſtro. Et ideo ſi poſt Medi-

cum desideramus ascendere, debemus vitia vel peccata deponere.

Resurrectio Domini spes nostra est: Ascensio Domini glorificatio nostra est.

Si recte, si fideliter, si devote, si sancte, si pie Ascensionem Domini celebremus, ascendamus cum illo, & sursum corda habeamus.

Videte, fratres, magnum miraculum. Altus est Deus, erigis te, & surgit à te: humilias te, & descendit ad te.

Deus ad cor tuum venire vult, & piger es ei domum mundare.

Idem ipse Christus tibi est via, & patria: secundum hominem via, secundum Deum patria.

In illo nostri generis corpore nos Christi mors vivificavit, nos resurrectio erexit, nos ascensio consecravit. *Serm. 3.*

De vitijs nostris scalam nobis facimus, si vitia ipsa calcamus.

Cum bonitatis authore non ascendit malitia, nec cum filio Vir-

ginis libido atque luxuria. Non aſcendunt vitia poſt virtutum parentem, peccata poſt juſtum, nec infirmitates ac morbi poſſunt ire poſt Medicum.

Si intrare ipſius Medici regnum volumus, prius vulnera noſtra curemus.

Serm. 5. Ecce jam porta patet, quam clauſerat Adam.

In Vigilia Pentecoſtes. Serm. 1. Sine dilectione fides inanis eſt.

Hoc ſigno crucis conſecratur corpus dominicum, ſanctificatur fons baptiſmatis, initiantur etiam Preſbyteri & cæteri gradus Eccleſiaſtici, & omnia quæcumque ſignificantur, hoc ſigno dominicæ Crucis cum invocatione nominis Chriſti conſecrantur.

Noluit (Chriſtus) lapidari aut gladio percuti, quia videlicet nos ſemper nobiſcum lapides aut ferrum ferre non poſſumus, quibus defendamur. Elegit vero Crucem, quæ levi motu manus exprimitur, qua & contra inimici verſutias munimur.

Quotidie cogitemus quales erimus in die judicij purissimis Angelorum conspectibus offerendi, & æterno judici rationem de libris conscientiæ reddituri, remotis omnibus probationibus.

Gravior apud me peccatorum tuorum crux est in qua invitus pendeo, quàm illa in quam tui misertus, mortem tuam occisurus ascendi.

Nisi spiritus adsit cordi audientis, otiosus est sermo doctoris.

Quisquis ille est, & qualiscumque ille est, Christianus non est, qui in Christi Ecclesia non est. Sola est in qua opus bonum fructuose peragitur. Sola est in qua mysteria superna veraciter contemplamur.

Si cum Sanctis in æterna vita communionem habere volumus, de imitatione eorum cogitemus. Debent enim in nobis aliquid recognoscere de suis virtutibus, ut pro nobis dignentur Domino supplicare.

Si tormenta, quæ Sancti pertulerunt, ferre non possumus, vel contra malas concupiscentias ipsis intercedentibus repugnemus.

Ignis hic, qui in præsenti est vita, absumit cuncta quæ recipit; ille vero quos susceperit semper cruciat, & pœnæ suæ semper integros servat. Propterea enim inextinguibilis dicitur, non solum quia ipse non extinguitur, sed quia nec eos quos susceperit, extinguet aut perimet.

Serm. 2. Duo sunt quæ principaliter attendere debet humana circumspectio, & dignitatem suæ conditionis, & excellentiam suæ reformationis. Dignitatem suæ conditionis, ut peccare timeat: excellentiam redemptionis, ut gratiæ redimentis ingratus non existat.

Scilicet Dominica. * Hæc oratio compendiosis verbis, id est, septem petitionibus omnes species orationis comprehendit, quibus Deum interpellamus, aut pro appetendis bonis;

aut pro vitandis malis, aut pro delendis commissis. Oratio fraterna est, non dicit, Pater meus, tanquam pro se tantum orans; sed, *Pater noster*, omnes videlicet una oratio complectens, qui se in Christo fratres esse cognoscunt. Admonentur hoc verbo divites & nobiles, cum Christiani facti fuerint, quatenus se non extollant adversus pauperes & ignobiles, quoniam simul dicunt, *Pater noster*, quod vere ac pie dicere non possunt, nisi se fratres esse cognoscant.

Magna plane gratia, duplex gaudium, quod abeuntem Christum non amisimus, & venientem spiritum possidemus. Nam illum retinemus fidei merito, hunc sanctificationis accessu. *In festo Pentecostes. serm. 1.*

Bonus magister est Paracletus, quia dicit quæ Christus dicenda servavit. Hoc enim docet Spiritus sanctus, quod Dominus docendum habere se dicit. Bonus plane

magister est, qui præceptorum executor est Salvatoris.

Feria 2. Pentecostes. serm. 2. Si quisquam dixerit alicui nostrum: accepisti Spiritum sanctum, quare non linguis omnibus loqueris? Respondere debet: loquor omnibus linguis, quia in eo sum Christi corpore, hoc est, in Ecclesia, quæ loquitur omnibus linguis.

Dom. 3. post Trinitatem serm. 2. Nemo in Christum crucifixum credere merebitur, nisi huic seculo moriatur.

Dom. 4. post Trinitat. serm. 2. In seipso crudelis est, qui sibi ipsi perpetuas peccatis suis præparat flammas.

serm. 3. In solemnitate Paschali facta est obsidio Judæorum, ut iusto Dei iudicio ex omnibus provinciis congregati Judæi in ipsis diebus pœnam sibi debitam sustinerent, in quibus verum Helisæum Dominum & Salvatorem nostrum in cruce suspenderunt. Illo enim, idest, à quadragesimo-secundo anno, à die passionis Domini nostri quasi divina manu acti Judæi,

Hierosolymis, sicut solebant, ad celebrandum Pascha convenerant. In historiis legimus quod tunc tricies centena millia hominum ex Judæis Hierosolymis fuerint congregata, ex quibus ferro & fame undecies centena millia leguntur esse consumpta, & centum millia iuvenum Romam perducti sunt in triumphum. Duobus enim annis obsessa est civitas illa, & tanta multitudo mortuorum de civitate proiecta est, ut muris ipsa cadavera coæquarentur.

Os Christi Evangelium est. In cælo sedet, sed in terra loqui non cessat. *Dom. 5. post Trinitat. serm. 1.*

Per eum qui habet, (Deus) iuvat egentem: per eum qui non habet, probat habentem.

Serva divitias in corde tuo, quas tibi contulit paupertas Domini tui. Imo ipsum adhibe tibi custodem: ne pereat de corde quod dedit, servet ipse qui dedit. *Dom. 8. post Trinitat. serm.*

Omnes divites, boni fideles: sed non divites huius mundi. De-

nique divitias suas nec ipsi sentiunt, sentient postea.

Vivit radix, sed hiemis tempore etiam viridis arbor aridæ similis est. Tempore quippe hiemis & arbor quæ aret, & arbor quæ viget, utraque nuda est onere foliorum, utraque vacua onere frugum, veniet æstas, & discernet arbores. Viva radix folia producit, impletur fructibus: arida, inanis æstate sicut hieme remanebit.

(Dives) plus gaudeat quia Christianus est, quàm quia dives est. Non infletur, non attollatur, attendat pauperem fratrem, non dedignetur frater pauperis appellari. Quantumcumque enim dives sit, ditior est Christus, qui fratres suos voluit esse pro quibus sanguinem fudit.

Si viluisti tibi, recole precium.

Quod tibi gaudes reddi ab inferiore, redde superiori.

Dom. 9. post Trinitat. serm. 1. Qui tibi vilis videtur esse, ante Deum pulcher est.

Qui ſibi diſplicent, Deo placent.

Eſto parvus in oculis tuis, ut ſis magnus in oculis Dei.

Tanto eris apud Deum preciosior, quanto fueris ante oculos tuos deſpectior.

In ſummo honore ſumma tibi ſit humilitas.

Veræ humilitatis virtutem nemo ſine timore Dei habere poteſt, quia eorum neuter ſine altero eſſe poteſt.

Magna eſt cautela peccati, Dei ſemper præſentiam tenere.

Alius eſt timor filiorum, alius eſt timor ſervorum: ſervi enim propter tormenta dominos timent; filij vero propter amorem patres timent. Si filij Dei ſumus, timeamus eum ex charitatis dulcedine, non de timoris amaritudine.

Timor Dei timorem expellit gehennæ, quia facit hominem peccatum cavere, & juſtitiæ opera augere.

Sic timeamus Deum, ut diligamus eum.

Ser. 2. Cum fortis ille dicatur qui neminem timet, perverſe fortis eſt qui Deum non vult timere.

Per timorem pœnæ bona vita retinetur: per bonam vitam bona conſcientia comparatur, ut per bonam conſcientiam nulla pœna timeatur.

Diſcat timere qui non vult timere: diſcat ad tempus eſſe ſollicitus, qui vult ſemper eſſe ſecurus.

Sicut in bona valetudine fames non faſtidio, ſed cibo pellitur; ita in bona mente timor non vanitate, ſed charitate pellendus eſt.

Quid vilius quàm homo ſine Deo?

Cum cavet anima ne Deus illam deſertus deſerat, timor eſt caſtus.

Dom. 10 poſt Trinitatem ſerm. 1. Multi dum ad furtum aut ad adulterium vadunt, ſi pedem impegerint, ſignant ſe, & tamen de malo opere non revocant ſe, & neſciunt miſeri quia includunt in ſe magis dæmones quàm excludunt.

Nemo habet injuſtum lucrum

ſine juſto damno.

Quoties aliqua infirmitas ſupervenerit, corpus & ſanguinem Chriſti ille qui ægrotat accipiat.

Ideo Chriſtiani facti ſumus, ut ſemper de futuro ſeculo & de æterno præmio cogitemus; & plus pro anima quàm pro corpore laboremus. *ſerm. 2.*

Ille bonus Chriſtianus eſt, qui quoties ſanctæ ſolemnitates veniunt, ut ſecurus communicet, ante plures dies caſtitatem cum propria uxore cuſtodit, ut ſincera & ſecura conſcientia ad Altare Domini caſto corpore & mundo corde præſumat accedere.

Modo felicitatem, quæ dicitur hujus mundi, habent & mali: infelicitatem quæ dicitur mundi hujus, habent & boni. Bona & mala præſentis ſeculi promiſcue habent & boni & mali. *Dom. 12 poſt Trinitatem ſerm. 2.*

Noli deſpicere humilem pauperem, qui cum pauper ſit, facere te divitem poteſt. *Dom. 14 poſt Trinitatem ſerm. 2.*

Oratio iuſti clavis eſt cæli. *Dom. 15*

post Trinitatem serm. 1. Audit Deus hominis linguam, si mundam habeat conſcientiam.

Sufficit auribus (Dei) imber oculorum: fletus citius audit quàm voces.

serm. 2. Ut nullus ſe pauper excuſare poſſet, Dominus & Salvator noſter pro calice aquæ frigidæ mercedem ſe redditurum eſſe promiſit. Dicis, Pauper ſum: ſi nihil amplius habes in ſubſtantia tua, quàm tibi aut in victu aut veſtitu rationabili aut mediocri ſufficiat. ſola tibi poteſt bona voluntas ſufficere. Sed, rogo te, diligenter conſcientiam tuam interroga, ne forte aliquoties per ebrietatem perdas quod per eleemoſynam dare potueras, ne forte per gulam ſtudeas in terra conſumere quod per eleemoſynam debueras in cælum recondere, ne forte delicias præparando, ornamenta ad luxuriam comparando, non habeas quod pro remedio animæ tuæ poſſis pauperibus erogare.

Totum divitis corpus flammis gehennæ

gehennæ consumitur, & sola lingua amplius cruciatur: ideo sine dubio in lingua maiorem sentit ardorem, quia per eam superbe loquendo contempserat pauperem; ipsa enim lingua quæ noluerat dicere ut eleemosyna pauperi donaretur, gravius gehennæ flammis exuritur.

Fac tibi vicem cum Christo: quare non accipiat partem de substantia tua, qui tibi præmia præparavit æterna? Quare non accipiat decimum, qui contulit totum? Contra terrenum patrimonium Deus offert cælum.

Oratio refectio est jejuniorum: austeritatem temperat, jejunium dulcificat. *Feria 4; Dom. 16 post Trinitatem serm. 1.*

Oratio duritiam cordis mollit.

Quid oratio, nisi ascensio animæ de terrestribus ad cælestia, inquisitio supernorum, invisibilium desiderium?

Qui alterum cogit, ut se plus quàm opus est bibendo inebriet, minus malum ei esset, si carnem *serm. 2.*

eius vulneraret gladio, quàm animam per ebrietatem necaret.

O infelicitas generis humani! Quàm multi inveniuntur qui ebriosos & luxuriosos amplius quàm oportet cogunt bibere, & ante ostium pauperibus petentibus vel unum calicem dissimulant dare.

Deum lauda in bonis tuis, & te accusa in malis tuis.

Dom. 19 post Trinitatem serm. 1. Multum interest inter malum esse, & malum pati. Tu quod pateris non es; malum enim pateris, sed tu malus non es: ille autem malum non patitur, & malus est. Noli ergo falli, noli falli. Non potest fieri ut tibi male sit, quia pateris malum; & illi bene sit, qui est malus.

Esto bonus qui habes bona: habeto bona quæ te faciant bonum: esto & tu bonus inter bona tua: erubesce bonis tuis: esto bonus mansurus inter bona peritura: erubesce bonis tuis: noli esse malus in eis, ne pereas cum eis.

Rectus Deus perverso non placet. Vis ut placeat tibi rectus Deus? esto rectus. *serm. 2.*

Scriptura sancta sit tibi tanquam speculum. Speculum hoc habet splendorem non mendacem, splendorem non adulantem, nullius personam amantem. Formosus es, formosum te ibi vides: fœdus es, fœdum ibi vides. Sed cum fœdus accesseris, & fœdum te ibi videris, noli accusare speculum: ad te redi, non te fallit speculum: tu te noli fallere: judica de te, contristare de tua fœditate, ut cum abieris & discesseris tristis, fœdus, correctus possis redire formosus. Quod videris judica: quod non vides, Deo dimitte. Cum judicaveris teipsum, sine adulatione judica, & proximum cum dilectione.

Noli propter hominem diligere vitium, nec propter vitium odisse hominem. Homo proximus est tuus, vitium inimicum proximo tuo: tunc amas amicum, si oderis quod nocet amico.

Propter te (Christus) pependit in lignum, & nondum est vindicatus. Quid vis vindicari? Vide pendentem, si vindicari vis. Vindicari vis? vide pendentem, audi precantem: *Pater, ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt.*

Dom. 22 post Trinitatem serm. 3. Si erubescimus ac timemus Eucharistiam manibus sordidis tangere, plus debemus timere ipsam Eucharistiam intus in anima polluta suscipere.

Dom. 23 post Trinitatem serm. 1. Duo sunt quæ in hac vita veluti laboriosa præcipiuntur à Domino, continere, & sustinere: jubemur enim continere ab his quæ in mundo dicuntur bona, & sustinere quæ in hoc mundo abundant mala. Illa continentia, ista sustinentia vocatur: duæ virtutes quæ mundant animam, & capacem faciunt divinitatis.

Laboriosum est fidei tempus.

Noli piger esse in opere, cuius mercedem desideras.

Modo vita humana quamdiu videtur produci, decrescit potius quàm crescat.

Donat & eget (Christus): quando donat, vis accipere: quando eget, non vis dare. Eget Christus, quando eget pauper.

Ecce turbatur mundus, & amatur mundus. Quid si tranquillus esset mundus? Formoso quomodo inhæreres, qui sic amplecteris fœdum? Flores ejus quomodo colligeres, qui ab spinis non revocas manum? Non vis relinquere mundum, relinquit te mundus, & sequeris mundum.

Patria bona, patria cælestis, patria cum populis Angelorum: patria ubi nullus moritur, quo nullus hostis admittitur: patria ubi habeas sempiternum Deum amicum, ubi nullum timeas inimicum.

Nec in publicum procedatis, ut florem fœni vestri oculis hominum ostentare cupientes, in domo vitæ mortem quæratis.

Non decet Christianum seculi huius lucris inhiare, cui promissum est regnum cælorum. *Dom. 24. post. Trinit. serm. 2.*

Opponat homo desiderio carnis

ſuæ æternorum flammas tormentorum.

Omnibus caſtitas perneceſſaria, ſed maxime Miniſtris Chriſti Altaris, quorum vita aliorum debet eſſe eruditio, & aſſidua ſalutis prædicatio.

ſerm. 2. Contra libidinis impetum apprehende fugam, ſi vis obtinere victoriam. Nec tibi verecundum ſit fugere, ſi caſtitatis palmam deſideras obtinere. Multi dum ſe putabant vincere, victi ſunt.

In anniverſ. Dedic. Eccleſiæ ſerm 1. Quibus in hoc ſeculo vita offertur, & nolunt accipere; in inferno quærent mortem, & non poterunt invenire.

Omnes viri quando communicare deſiderant, lavant manus ſuas; & omnes mulieres nitida exhibent linteamina, ubi corpus Chriſti accipiant.

Rogo vos, fratres, nunquid eſt aliquis qui in arca ſordibus plena velit mittere veſtem ſuam? Et ſi in arca ſordibus plena veſtis non mittitur precioſa, qua fronte in anima,

quæ peccatorum ſordibus inquinatur, Chriſti Euchariſtia ſuſcipitur?

Recte feſta Eccleſiæ colunt, qui ſe Eccleſiæ filios eſſe recognoſcunt. *Serm. 2.*

Id quod parat Deus diligentibus ſe, fide non comprehenditur, ſpe non tangitur, charitate non capitur, deſideria & vota tranſgreditur, acquiri poteſt, æſtimari non poteſt.

Magna materies eſt purgationis bonorum abundantia malorum. *Serm. 3.*

Eſto bonus, tolera malum: geme in area, ut gaudeas in horreo. Non habebis bonum inimicum, niſi fueris malus: ſi autem fueris bonus, inimicus tuus non erit niſi malus.

Occurrit tibi qui te læſit, occurrit tibi qui te preſſit, occurrit tibi qui te ſpoliavit, occurrit tibi qui te in carcerem miſit: eja attende cor tuum, reſpice Dominum tuum. Ecce malus inimicus tuus, ecce bonus Dominus tuus.

Dominus dura iuſſit, ſed magna promiſit.

Si multi boni essent, & pauci mali essent, pauci mali multis bonis nocere non auderent: si non auderent, non exercerent.

serm. 5. (Ecclesia) domus orationum nostrarum, domus autem Dei nosipsi.

Ille veraciter amat amicum qui Deum amat in amico, aut quia est in illo, aut ut sit in illo.

Quomodo amas Deum, cum adhuc amas quod odit Deus?

Erubescimus recordatione praeteritorum, gaudeamus spe futurorum.

Si cor non compungitur, quare pectus tunditur?

Ser. de Sanctis serm 1. Quod fecit persecutor, patitur praedicator: quod fecit Saulus, patitur Paulus: quod fecit lupus, patitur agnus.

serm. 3. Divitiae omnes, Deus noster.

serm. 5. Attendis quid tibi fecerit homo, & non consideras quid tu feceris Deo.

serm. 14 Ab agno pro ovibus mortuo fit ovis secura de lupo.

Appendo quod patior contra id

quod

quod ſpero. Hoc ſentio, illud credo. Et tamen plus valet quod credo, quàm quod ſentio.

Opus cum fine, merces ſine fine.

Quid times quod vitare non potes? Quomodo hinc exeas cogita. Mortem potes differre, non auferre. Times mortem ad momentum, veniet etſi nobis: time pœnas in æternum, non venient ſi volueris. Non effugies ut moriaris, ſeu vivendo bene, ſeu vivendo male. At vero ſi elegeris hîc bene vivere, in æternas pœnas non mitteris. Quia vero eligere non potes hîc ne moriaris, elige, cum vivis, ne in æternum moriaris.

Quis eſt humilis, niſi timens Deum? *Ser. 17.*

In te beatiſſima (Virgo) noſtrorum eſt expectatio præmiorum. *Ser. 18.*

Reſurgendo Chriſtus abſtulit mortis mortem. *Ser. 24.*

De Pauli cervice, cum eam per- *ser. 26.*

ſecutor gladio percuſſiſſet, dicitur fluxiſſe lactis magis unda quàm ſanguinis, & mirum in modum ſanctum Apoſtolum baptiſmi gratia in ipſa nece fecit ſplendidum potius quàm cruentum.

Ser. 29. (Petrus) in illa cruce imitari metuens ſacrificium Redemptoris, capite in terra demergi elegit. O virtus humilitatis ingenitæ, honorari etiam ſupplicij genere pertimeſcit, & qui non recuſat dominici tormenta patibuli, ſimilitudinem expaveſcit triumphi.

Merito per omnes Chriſti Eccleſias auro precioſius habetur ferrum illum pœnalium vinculorum.

ſer. 36. Non ſemper Lazarus fame torquebitur, nec ſemper avarus dives deliciarum abundantia perfruetur.

ſer. 38. Si nos Deus noſter vellet punire, non nos ante tot ſecula commoneret. Invitus quodammodo vindicat, qui quomodo evadere

possimus multo ante demonstrat. Non enim te vult percutere, qui tibi clamat: observa.

Christiani nominis non facit sola dignitas Christianum, nihilque prodest quod aliquis Christianus vocatur in nomine, si hoc non ostendit in opere.

Tunc reddet unicuique secundum opera sua: non dixit, secundum fidem suam. *Mat.16.*

Certe ubi volumus permanere, illuc debemus festinare. *ser. 39.*

Confessionem quæramus puro corde, & pœnitentiam donatam à Sacerdotibus perficiamus.

Ita peccata ipsa in hoc seculo purgentur, ut in futuro ille ignis purgatorius aut non inveniat, aut certe parum inveniat quod exurat. Sed dicit aliquis: Non pertinet ad me, quamdiu moras habeam, si tamen ad vitam æternam perrexero. Nemo hoc dicat, fratres charissimi. Quia ille purgatorius ignis durior erit quam quicquid potest in hoc seculo pœnarum vi- *ser. 41.*

deri, aut cogitari, aut ſentiri.

ſer. 42. Attendamus Dominum noſtrum exemplum, verum & adjutorium. Ioan. 15. Probemus quia adjutorium: *Sine me nihil poteſtis facere*. Probemus quia exemplum: 1. Petr. 12. *Chriſtus pro nobis paſſus eſt*, Petrus dicit, *nobis relinquens exemplum ut ſequamur veſtigia ejus*.

Ser. 45. Juſtus plorat veraciter plorantes ſteriliter. Plorat plorantes, plorat ridentes: quia & qui plorant de rebus vanis inaniter plangunt, & qui rident de rebus vanis, malo ſuo rident.

Orationes Sanctorum, orationes peregrinantium, orationes in hac via laborantum, orationes amantium, orationes gementium, orationes æternæ patriæ ſuſpirantium.

Non deſiderat patriam peregrinatio ſine lacryma.

Pſ. 41. *Factæ ſunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte, dum dicitur mihi quotidie, Vbi eſt Deus tuus?* Quis juſtus non habuit iſtas lacry-

mas? Qui non habuit, peregrinum ſe eſſe non doluit. Qua fronte ad patriam venit, qui non abſens ſuſpiravit?

(Juſtus) bene operatur, & hilaris eſt; & plorat ut bene operetur, plorat quia bene operatus eſt. Plorando exigit bonum opus, plorando commendat bonum opus quod facit. Crebræ ergo ſunt lacrymæ juſtorum, ſed in iſta via.

(In inferno) tortor ſine defectu, tortus ſine defectu. Nec qui torquet fatigatur, nec qui torquetur, moritur.

Abſque injuria Sanctorum in perſecutionibus defunctorum dicere liceat, carnem afflixiſſe, libidinem ſuperaſſe, avaritiæ reſtitiſſe, de mundo triumphaſſe, pars magna martyrii eſt. *Ser. 46.*

Beatitudo hîc parari poteſt, poſſideri non poteſt. Verum gaudium comparari hîc poteſt, poſſideri non poteſt.

Non quæras in via, quod tibi ſervatur in patria. Et quia contra

Diabolum Christo duce quotidie tibi pugnare necesse est, præmium non requiras in prælio, quod tibi servatur in regno. Non quæras in pugna quod tibi servatur in futuro, cum fuerit perfecta victoria.

Ser. 47. Ab ipsis Sanctorum Martyrum in veritate festivitatum gaudia celebrantur, qui ipsorum Martyrum exempla sequuntur. Solemnitates enim Martyrum exhortationes sunt martyriorum, ut imitari non pigeat, quod celebrare delectat. Sed nos volumus gaudere cum Sanctis, & tribulationem mundi nolumus sustinere cum ipsis.

Sermonum de diversis à Theologis Lovaniensibus editorũ. Ser. 1. Spes lactat nos, nutrit nos; confirmat nos, & in ipsa laboriosa via consolatur nos.

Sitimus & esurimus, opus est ut satiemur; sed in via fames, in patria satietas.

Uno perfruemur: sed ipsum unum omnia nobis erit. Deum habebimus, & ipso solo contenti erimus, imo ipso solo sic delecta-

bimur, ut nihil aliud requiramus: quia & in uno ipſo fruemur, & in nobis invicem ipſo fruemur.

Quid aliud in nobis quàm Deum debemus diligere, aut quia habemus, aut ut habeamus?

Sunt quædam ægrotantium deſideria: ardent deſiderio aut alicuius fontis, aut alicuius pomi: & ſic ardent, ut ſi ſani fuerint, frui debeant ipſis deſideriis ſuis. Venit ſanitas, & perit cupiditas. Quod deſiderabat, faſtidit, quia hoc in illo febris quærebat. Cum multa ſint ægrotantium deſideria, quæ iſta ſanitas tollit, quomodo illa tollit iſta ſanitas, ſic omnia tollit immortalitas: quia ſanitas noſtra immortalitas eſt.

Dedit ſeipſum quem diligimus, dedit unde diligeremus. *ſer. 2.*

Quia Spiritus ſanctus Deus eſt, nec diligere poſſumus Deum, niſi per Spiritum ſanctum, amemus Deum de Deo.

Amorem nemo videt: & tamen ipſe amatur qui non videtur.

Deum non vides, ama & habes. Quàm multa in damnabilibus cupiditatibus amantur, & non habentur, ſordide quæruntur, nec tamen continuo poſſidentur!

Laudes vultis dicere Deo, vos eſtote quod dicatis. Laus ipſius eſtis, ſi bene vivatis. Laus enim ejus non eſt in [a] Judæorum, in inſania Paganorum, non eſt in erroribus hæreticorum, non eſt in plauſibus theatrorum. Quæritis ubi ſit? Vos attendite, vos eſtote.

[a] *Synagogis.*

Pſ.149. *Laus ejus in Eccleſia Sanctorum.*

Quid times dare te, ne conſumas te? Imo ſi te non dederis, perdis te.

Serm.3. Tanta vis eſt boni, ut bonum quærant & mali.

Nullum bonum eſſet, niſi à bono factum eſſet, quod factum non eſt. Omnia bona, ſed facta bona, & à Deo bona, non à ſe. Qui fecit hæc, ſuper omnia eſt bonus, quia nullus eum fecit bonum, ſed à ſeipſo bonus eſt. Nec

tamen ſibi ſoli, ſed & nobis bonus eſt.

Sævi in te, ut Deus intercedat tibi, & non damnet te.

Sit hoc conſcriptum in cordibus ſanctitatis veſtræ, meliorem eſſe hominem minus intelligentem, & melius viventem, quàm multum intelligentem & non bene viventem. *Serm. 5.*

Qui bene vivit, meretur amplius intelligere: qui male vivit, & quod intelligit perdet.

Cogitationes quas modo non videt niſi Deus, omnes invicem videbunt in illa ſocietate Sanctorum. Nemo ibi vult tectum eſſe quod cogitat, quia nemo ibi male cogitat.

Te vince, & mundus eſt victus.

Magna tentatio eſt in hac vita, quando illud noſtrum tentatur, quo meremur veniam, ſicubi tentati lapſi fuerimus. Horrenda tentatio eſt, quando nobis tollitur unde ab aliarum tentationum vulneribus ſanari poſſimus. Quid eſt

ergo illa quam posui horrenda tentatio, molesta, tremenda, omnibus viribus, omni virtute putanda? Quæ est ista? Quando nobiscum agitur, ut vindicemus nos, ira exasperatur, & frendet homo vindicari. Unde accepturus enim veniam fueras pro cæteris delictis, hoc perdis. Si quid alijs sensibus, alijs cupiditatibus peccaveras, hinc erat sanandum, quia dicturus eras: *Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.* Qui te instigat ut vindiceris, perdet tibi quod dicturus eras: *Sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.* Illo perdito cuncta tenebuntur, omnino nihil dimittitur. Hanc periculosam tentationem sciens Dominus magister & Salvator noster, cum doceret nos in hac Oratione sex aut septem petitiones, nullam sibi assumpsit unde tractaret, & quam vehementius nobis commendaret, nisi hanc unam.

Ser. 12. Per hominem Christum tendis

ad Deum Christum. Ubi maneas, Deus est: qua eas, homo est. Idem ipse Christus, & qua eas, & quo eas.

Quotidiana nostra mundatio, dominica oratio.

Gaudet bonus seruus, quando laudatur dominus. *ser. 13.*

Cur non miseri intelligunt, quod apud Aggæum loquens Dominus propterea dixerit: *Meum est aurum, meum est argentum*? Ut & ille qui non vult communicare quod habet, cum audit præcepta faciendæ misericordiæ, intelligat Deum non de re illius cui jubet, sed de re sua jubere donari; & ille qui porrigit aliquid pauperi non se arbitretur de suo facere, ne forte non tam confirmetur misericordiæ nomine, quàm infletur superbiæ vanitate. *Meum est*, inquit, *aurum, & meum est argentum*: non vestrum ô divites terræ. Quid ergo dubitatis dare pauperi de meo? aut quid extollimini cum datis de meo? *ser. 15.* *Agg. 2.*

Nulla creatura homo justificari potest; sed ut creaturis omnibus juste uti possit, à Creatore justificandus est.

ser. 16. Multi modi sunt quibus nobiscum loquitur Deus. Loquitur aliquando per aliquod instrumentum, sicut per codicem divinarum Scripturarum. Loquitur per aliquod instrumentum mundi, sicut per stellam Magis locutus est. Quid est enim locutio, nisi significatio voluntatis? Loquitur per sortem, sicut de Mathia in locum Judæ ordinando locutus est. Loquitur per animam humanam, sicut per Prophetam. Loquitur & per Angelum, sicut Patriarcharum & Prophetarum quibusdam locutum esse accipimus. Loquitur per aliquam vocalem sonantemque creaturam, sicut de cælo voces factas cum oculis nullus videretur, legimus & tenemus. Ipsi denique homini non extrinsecus per aures ejus aut oculos, sed intus in animo non uno modo Deus

loquitur; ſed aut in ſomnis, ſicut Laban Syro, ne Jacob ſervum ejus in aliquo læderet, & Pharaoni de ſeptem annis opulentis totidemque ſterilibus demonſtratum eſt: aut ſpiritu hominis aſſumpto quam Græci Ecſtaſim vocant, ſicut oranti Petro vas plenum ſimilitudinibus crediturarum Gentium viſum eſt ſubmiſſum eſſe de cælo: aut in ipſa mente, cum quiſque majeſtatem vel voluntatem intelligit; ſicut ipſe Petrus ex illa ipſa viſione quid ſe agere vellet Dominus, apud ſeipſum cogitando cognovit. Non enim hoc quiſquam poteſt, niſi ſonante quodam tacito clamore veritatis agnoſcere. Loquitur etiam Deus in bonorum malorumque conſcientia. Nam & approbare quod benefacit, & improbare quod peccat, nemo recte poteſt, niſi eadem illa in ſilentio cordis vel laudante vel damnante voce veritatis. Veritas autem Deus eſt.

ser. 18. Crescit doctrina, crescant opera bona.

Ser. 20. Etsi Diabolus aliquando aliquid suggerit, consentientem tenet, non cogit invitum: non enim seducit ille aut trahit aliquem, nisi quem invenerit ex aliqua parte jam similem sibi: invenit enim eum aliquid cupientem, & cupiditas aperit januam intranti suggestioni Diaboli: Invenit illum aliquid timentem, monet ut fugiat quod illum invenit timere: monet ut adipiscatur quod illum invenit cupere, & per has duas januas cupiditatis & timoris intrat. Claude illas, imples *Ephes.* 4 Apostoli illud: *Non detis locum Diabolo*: ibi enim voluit ostendere quia quamvis intret & possideat Diabolus, homo illi tamen locum dat ut possit intrare.

Si volumus bene vivere, plus amemus quod promittit Deus, quàm quod promittit hic mundus; & plus timeamus quod minatur Deus, quàm quod minatur hic mundus.

Cupiditas rerum æternarum & felicitatis æternæ non debet miſceri cupiditati rerum temporalium, id eſt felicitatis præſentis & temporalis.

Evaneſcit & fumus in altum ſurgendo; & magis ignis lucet & roboratur humilia appetendo. *Ser. 21.*

Si malum eſt ſuper arenam ædificare, malum eſt nihil ædificare: reſtat ut non ſit bonum niſi in petra ædificare. *Ser. 27.*

Non ſolum avarus eſt qui rapit aliena, ſed & ille avarus eſt qui cupide ſervat ſua. *ſer. 28.*

Parum eſt avaritia pecuniæ, cave avaritiam vitæ. Horrenda avaritia, metuenda avaritia. Plus vis vivere quàm Deus conſtituit? Noli habere cupiditatem vivendi, & non habebis æternitatem moriendi.

Alia ſunt præcepta quædam medicinæ ad tenendam ſanitatem, ſanis enim dantur ne ægrotent: alia ſunt autem quæ jam ægroti cum accipiunt, recuperant quod amiſerant. *ſerm. 34*

Semper Deus Medicus opus eſt etiamſanis,ut ſanitas ipſa teneatur.

Si cito rediret homo ad beatitudinem, ludus illi eſſet peccando cadere in mortem.

Qui mihi dixerit: Non remitto peccata quæ in me forte homines peccant: non eſt unde illi promittam ſalutem:non enim poſſum ego promittere quod non promittit Deus.

Qui bene agit pœnitentiam, ſuus ipſe punitor eſt: ſit oportet ipſe in ſe ſeverus, ut in eum ſit miſericors Deus.

ſerm 35 Patitur Paulus quod fecerat Saulus: Saulus lapidavit, Paulus lapidatus eſt:Saulus Chriſtianos virgis affecit, Paulus quinquies quadragenas una minus accepit: Saulus perſecutus eſt Eccleſiam Dei,Paulus ſubmiſſus eſt in ſporta: Saulus vinxit, Paulus vinctus eſt.

Quicquid eſt quod ſævit, pro nomine Chriſti, ſi vinci poteſt, tolerabile eſt: ſi non poteſt,migrare hinc facit.

Ægrote, quomodo ſanaberis, qui de medicamento tuo erubeſcis?

Elige hoc tempore quam partem teneas in futuro.

Prorſus nullum genus hominum de ſua vocatione deſperet, pro omnibus paſſus eſt Chriſtus. *ſerm. 37*

Strata eſt via prius ſpinoſa, & pedibus Apoſtolorum contrita, facta levior ſecuturis. *ſer. 39.*

Non ſemper ægrum exaudit Medicus ad voluntatem, quamvis ejus ſine dubio procuret atque appetat ſanitatem. Non dat quod petit; ſed quod non petit, hoc procurat: petit frigida, non dat. Crudelis factus eſt qui venit ſanare? Artis eſt, non crudelitatis: non dat ad horam quod delectat: ut ſanus poſſit omnia, nondum ſano negantur aliqua.

Annunciatus Joannes ab Angelo, annunciatus Chriſtus ab Angelo: tam magnus erat homo, ut quicquid plus illo eſſet, Deus eſſet. *ſer. 40.*

Dulcis eſt voluptas, ſed dulcior eſt Deus: malus eſt dolor tempora- *ſer. 42.*

lis, ſed pejor eſt ignis æternus: habes quod ames pro mundi amoribus: habes quod timeas pro mundi terroribus.

Spiritus Dei ſpiritus eſt charitatis; ſpiritus hujus mundi ſpiritus eſt elationis: qui habent ſpiritum hujus mundi, ſuperbi ſunt, ingrati ſunt Deo.

Aliquando victi à Diabolo vincunt dolores, non habentes patientiam, ſed duritiam.

ſer. 43. Qui vult cor ſurſum habere, ibi ponat quod amat; & in terra poſitus carne, cum Chriſto habitet corde. Et ſicut Eccleſiam præceſſit caput ejus, ſic Chriſtianum præcedat cor ejus. Quomodo membra itura ſunt quo præceſſit Caput Chriſtus; ſic iterum reſurgens iturus eſt quo nunc præceſſit cor hominis. Eamus ergo hinc ex qua parte poſſumus, ſequetur totum noſtrum quo præceſſerit aliquid noſtrum.

Fac locum Chriſto cum filiis tuis, accedat familiæ tuæ Dominus

tuus, accedat ad prolem Creator tuus, accedat ad numerum filiorum tuorum frater tuus. Computa quia unum plus habes: deputa te unum amplius generasse: duos filios habes, tertium illum computa: tres habes, quartus numeretur: quintum habes, sextus dicatur: decem habes, undecimus sit: unius filij tui serva locum Domino tuo: quod enim dabis Domino tuo, & tibi proderit, & filiis tuis: quod autem male servas filiis tuis, & tibi oberit & filiis tuis.

Ecclesiam accipite, fratres, non in his solis qui post Domini adventum & nativitatem esse cœperunt sancti; sed omnes quotquot fuerunt sancti, ad ipsam Ecclesiam pertinent. Hæc Ecclesia significabatur in Rebecca uxore Isaac: hæc Ecclesia erat in sanctis etiam Prophetis, qui intelligebant vetus Testamentum; quia promissiones illæ carnales spiritale nescio quid significabant. ser. 44.

Ubi est occulta pugna, ibi est

occulta victoria.

Ser. 45. Unaquæque conjux bona maritum suum dominum vocat. Prorsus non solum vocat, sed hoc sapit, hoc sonat, hoc gestat corde, hoc profitetur ore, tabulas matrimoniales instrumenta emptionis suæ deputat.

Amate me tanquam me: amate Deum tanquam Deum: ne Deum offendatis propter me, nec me offendatis propter alium quemlibet.

Ser. 47. Durum videtur & grave quod Dominus imperavit, ut si quis eum vult sequi, abneget semetipsum: sed non est durum nec grave quod ille imperat qui adjuvat ut fiat quod imperat.

Quicquid durum est in præceptis, ut sit lene, charitas facit.

Prima hominis perditio fuit amor sui.

Hoc est amare se, velle facere voluntatem suam.

Quis nolit illo sequi Christum, ubi summa est felicitas, summa pax, perpetua securitas? Bonum

est illo eum sequi, sed videndum est qua.

Non accepistis prius Orationem, & postea Symbolum; sed prius Symbolum, ubi sciretis quid crederetis: & postea Orationem, ubi nosceretis quem invocaretis. Ser. 48.

Sit orantis affectus, & erit exaudientis effectus.

Regnum semper habet Deus, & nunquam est sine regno, cui servit universa creatura.

Si (Deus) omnipotens est, cur oras ut fiat voluntas ejus? Quid est ergo, *fiat voluntas tua?* Fiat in me ut non resistam voluntati tuę. Ergo & hîc pro te oras, & non pro Deo: fiet enim voluntas Dei in te, etsi non fiat à te.

Impudentia est ut à Deo petas divitias.

Si non sentinatur, paulatim ingreditur unde tota navis mergatur.

Nullo modo nocere tibi potest inimicus sæviens, quantum tibi noces, si non diligis inimicum: ille enim nocere potest aut villæ tuæ,

aut pecori tuo, aut ancillæ tuæ, aut filio tuo, aut conjugi tuæ, aut ut multum, si illi data fuerit potestas, carni tuæ. Nunquid quomodo tu animæ tuæ?

Ser. 49. Usque adeo timebam Episcopatum, ut quoniam cœperat esse iam momenti inter Dei servos fama mea, in quo loco sciebam non esse Episcopum, ne illo accederem cavebam: & hoc agebam quantum poteram, ut in loco humili salvarer, ne in alto periclitarer: sed, ut dixi, domino servus contradicere non debet.

Quicumque vult, exhæredato filio, hæredem facere Ecclesiam, quærat alterum qui suscipiat, non Augustinum; imo Deo propitio neminem inveniat. Plane quando donavi filio quod iratus pater moriens abstulit, bene feci: laudent qui volunt, parcant qui laudare nolunt.

Non est Episcopi servare aurum, & revocare à se mendicantis manum.

Malum eſt cadere à propoſito; ſed pejus eſt ſimulare propoſitum.

Clericus duas res profeſſus eſt, ſanctitatem & Clericatum. Interius ſanctitatem; nam Clericatum populum ſuum Deus impoſuit cervicibus ipſius, onus eſt quàm honor.

Deus homo factus eſt, ut homo Deus fieret: & ut in dominum ſervus verteretur, formam ſervi Dominus accepit. Habitavit in terris habitator cælorum, ut homo habitator terræ habitaret in cælis. Ser. 52.

Deſcendit (Chriſtus) ut aſcenderemus, mortuus eſt ut viveremus, reſurrexit ut reſurgeremus; aſcendit in cælum, ut terrena contemnere & cor ſurſum ericere diſceremus; denique ut levaret poſt ſe ſpem noſtram, levavit primo carnem ſuam: & ut ſperaremus hoc ſecuturum in nobis, illud præceſſit quod accepit ex nobis. Ser. 54.

Natus eſt ut renaſceremur: Chriſtus natus eſt, nemo dubitet Ser. 55.

renaſci: portavit eum mater in utero, portemus & nos in corde: gravidata eſt Virgo incarnatione Chriſti, gravidentur pectora noſtra fide Chriſti: peperit Virgo Salvatorem, pariat anima noſtra ſalutem. Non ſimus ſteriles, animæ noſtræ Deo ſint fœcundæ.

Ser. 59. Habuerunt maritos fœminæ ſanctæ.

Ser. 61. Quod humana ratio non invenit, fides capit; & ubi humana ratio deficit, fides proficit.

Non eſt auſus ſerpens loqui viro, ſed ad eum dejiciendum fœmineo uſus eſt miniſterio: per inferiorem obtinuit fortiorem: & qui per alterum penetravit, de utroque triumphavit.

Honor maſculini ſexus eſt in carne Chriſti: honor feminini eſt in matre Chriſti.

Per carnem tacet, per Angelos docet. Nunciatur princeps paſtorque paſtorum: in præſepio jacet, ſed mundum continet: ubera ſugit, ſed Angelos paſcit: pannis involvitur,

vitur, ſed immortalitate nos veſtit: lactatur, ſed adoratur: locum in diverſorio non invenit, ſed templum ſibi in credentium cordibus facit.

Cum hæretici calumniantur, parvuli perturbantur. Cum perturbantur inquirunt: inquiſitio eorum quaſi percuſſio eſt de capite in ubera matris, ut tantum manent quantum parvulis ſat eſt. Illi turbati quærunt: qui autem norunt & didicerunt, quia ſcrutati ſunt, & aperuit illis pulſantibus Deus, aperiunt & ipſi turbatis. Et ſic fit ut illi ſint utiles ad inveniendam veritatem, dum calumniantur ad ſeducendum in errorem: negligentius enim veritas quæreretur, ſi mendaces adverſarios non haberet. *Oportet*, inquit, *& hæreſes eſſe.* Et quaſi quæreremus cauſam, ſubjecit ſtatim, *ut probati manifeſti fiant inter vos.* *ſerm:63* *1.Cor.11*

Verbum Dei nunquam tacet, ſed non ſemper auditur.

Chriſto mundus ſubditus, Chri-

ſtus parentibus ſubditus.

ſer. 64. Magi primi ex Gentibus Chriſtum Dominum cognoverunt.

Magi primitiæ Gentium ad Chriſtum videndum adorandumque venerunt, & non ſolum accipere propriam, ſed omnium quoque Gentium ſalutem ſignificare meruerunt.

Quem primitiæ illæ noſtræ adoraverunt jacentem in diverſorio, nos habitantem adoremus in cælo: adoraverunt primitiæ Gentium inhiantem uberibus matris, adorant Gentes ſedentem ad dexteram Dei Patris.

ſer. 67. Ipſe Medicus, ipſe medicamentum: Medicus, quia Verbum; medicamentum, quia Verbum caro factum eſt: ipſe Sacerdos, ipſe ſacrificium.

ſerm. 68 Ne conformemur & hæreamus huic ſeculo.

Quod vobis demitis jejunando, eleemoſynis addite prærogando.

In ſpiritalibus bonis tuum deputa quod amas in fratre: ſuum

deputet, quod amat in te.

Nemo ſub abſtinentiæ ſpecie mutare affectet potius quàm reſecare delicias, ut precioſos cibos quærat quia carne non veſcitur, & inuſitatos liquores quia vinum non bibit: ne per occaſionem quaſi domandæ carnis magis agat negocium voluptatis. Alimenta quidem mundis munda ſunt omnia, ſed in nullo eſt munda luxuria.

Humiles eſſe nos docuit humilitas Christi. *Ser. 70.*

Jejunium ſine miſericordia ei nihil eſt qui jejunat. *Ser. 71.*

Façile tibi obtemperabit caro, ne inhæreat alienis, quæ reſtrænari conſueverit & à ſuis.

Parſimonia jejunio conjungatur. Sicut ventris caſtiganda ſaturitas, ita gulæ irritamenta cavenda ſunt. Sanctum David aquam plus juſto deſideraſſe pœnituit.

Non operoſis neque precioſis, ſed in promptu poſitis, & quibuſ-

que vilioribus alimentis eſt corpus à jejunio reficiendum, vel potius fulciendum.

Nec impudenter à Deo miſericordia petitur, cum ab homine homini non negatur.

Sit oratio caſta, ne forte non quod charitas, ſed quod cupiditas quærit, optemus: ne inimicis mali aliquid imprecemur: ne in quos nocendo non poſſumus, orando ſæviamus.

Ser. 72. Cum corpus caſtigatur, & ſervituti ſubjicitur, reſtringendæ ſunt deliciæ, non mutandæ.

Quid ſtultius quàm inimicum forinſecus devitare, & multo pejorem in præcordijs intimis retinere?

Ser. 73 Hi ſunt Quadrageſimæ dies ſacratiſſimi toto orbe terrarum.

Nemo ſic gaudeat de bono largitatis, ut bonum amittat humilitatis.

Ser. 74. Ob hoc Chriſtus, qui ſicut homo dignatus eſt naſci, non reſpuit ut homo tentari, ut Chriſtianus

magiſterio ejus inſtructus non poſſit à tentatore ſuperari.

Quid abſurdius quàm tempore quo caro arctius caſtiganda eſt, tantas carni ſuavitates procurare, ut ipſa faucium concupiſcentia nolit Quadrageſimam præterire? Quid inconvenientius quàm in diebus humilitatis, quando pauperum victus omnibus imitandus eſt, ita vivere ut ſi toto tempore ſic vivatur, vix poſſint divitum patrimonia ſuſtinere? His diebus ita turpe eſt ſi cupiditas noſtra ad inuſitatas laxetur illecebras, ut merito culpetur, qui non reſtrinxerit uſitatas.

Accipiat eſuriens Chriſtus, quod jejunans minus accipit Chriſtianus: Voluntaria copioſi inopia, fiat neceſſaria inopis copia.

Illam noctem agimus vigilando, *ſer. 76.* qua Dominus reſurrexit.

Debetis ſcire quid accepiſtis, *ſer. 83.* quid accepturi eſtis, quid quotidie accipere debeatis. Panis ille quem videtis in altari, ſanctifica-

tus per verbum Dei corpus est Christi. Calix ille, imo quod habet calix sanctificatum per verbum Dei; sanguis Christi est.

(Spiritus Sanctus) in linguis igneis se ostendit. Inspirat enim charitatem qua ardeamus in Deum, & contemnamus mundum, & fœnum nostrum exuratur, & cor quasi aurum purgetur.

ser. 84. Qui piger est in exhibendo opere, impudens est in exigenda mercede.

Adam homo erat, filius hominis non erat. Ideo Dominus Christus assidue se dicit filium hominis, ut faciat nos recordari hominem qui non fuit filius hominis: ut recordemur in illo mortem, in isto vitam: in illo peccatum, in isto remissionem peccatorum: in illo vinculum, in isto libertatem: in illo damnationem, in isto absolutionem.

ser. 87. Ardete, ne ardeatis igne quo arsuri sunt Dæmones. Ardete igne charitatis, ut à Dæmonibus

vos discernatis. Ardor iste sursum vos rapit, sursum tollit, in cælum levat. Quicquid molestiarum passi fueritis in terra, quantumcumque Christianum cor deorsum humiliatum premat inimicus, summa petit arbor dilectionis. Similitudinem accipite. Si faculam teneas ardentem, rectam capite sursum teneas, flammæ crinis surgit in cælum. Deprime faculam, flamma in cælum it. Fac faculam capite deorsum, nunquid & flammam deponis in terram? Quacumque ardens vergit, flamma aliam viam secat, cælum petit.

Hanc regulam tenete: Date quando petimini, etsi non hoc quod petimini. *ser. 91.*

Contristaris quia in terra pauper es tu: pauper hic fuit qui creavit terram. Consolatur te Dominus Deus tuus: consolatur te Creator tuus: consolatur te Redemptor tuus: consolatur te non avarus frater tuus.

Cum (Dominus) ascendit in *ser. 92.*

cælum, nos ab illo ſeparamur. Qui de cælo deſcendit, non nobis invidet cælum, ſed quodammodo clamat: Mea membra eſtote, ſi aſcendere vultis in cælum.

Hoc meditemur in terris, quod computamur in cælis. Tunc exuturi carnem mortalitatis, nunc exuamus animi vetuſtatem. Facile corpus levabitur in alta cælorum, ſi non premat ſpiritum ſarcina peccatorum.

Illud nonnullos, calumniantibus hæreticis, movet, quemadmodum Dominus ſine corpore deſcenderit, cum corpore aſcenderit, velut contrarium ſit illis verbis quibus ait: *Nemo aſcendit in cælum, niſi qui de cælo deſcendit.* Corpus ergo, inquiunt, quod non deſcendit de cælo, quomodo potuit aſcendere in cælum? Quaſi ille dixerit: Nihil aſcendit in cælum, niſi quod de cælo deſcendit. Sed ait: Nemo aſcendit niſi qui deſcendit: Hoc enim ad perſonam, non ad perſonæ habitum

retulit. Descendit sine corporis indumento, ascendit cum corporis indumento. Nemo tamen nisi qui descendit, ascendit. Nam si nos sibimet tanquam sua membra ita coaptavit, ut etiam nobis conjunctis idem ipse sit: quanto magis illud corpus, quod de Virgine assumpsit, aliam non potest in illo habere personam? Quis enim vel in montem, vel in murum, vel in aliquem superiorem locum, dicit non eum qui descenderit ascendisse, si cum descendisset exutus, ascendat indutus? aut cum descendisset inermis, ascendat armatus?

Est sanitas corporis, eorum concordia quibus constat. *ser. 102.*

Febris lectum non formidat argenteum, non timet pompam divitis, non timet jacula bellatoris.

Omnium victor est cupiditatum, qui tanquam tyrannum subjugat amorem vitæ hujus, cuius satellites sunt omnes cupiditates. *ser. 102*

Nec eſt omnino quod in hac vita vinculo teneatur, quiſquis vitæ ipſius amore non tenetur.

Veniet retributionis dies, ubi corporibus redditis totus homo recipiat quod meretur.

ſer.104. Ibi eſt corona glorioſior, ubi ſexus infirmior.

ſer.106. Fer quod vult (Deus) & dabit quod vis.

Chriſtianorum eſt pati mala temporalia, & bona ſperare ſempiterna.

Omnis homo quem pœnitet iraſcitur, pœnitentiæ iram exercet in ſe.

Vis ut tibi parcat Deus? tu tibi noli parcere. Quia ſi tu tibi parcis, ille tibi non parcet: quia ſi & ille tibi parcat, peris.

Non poteſtis oſtendere quantum ametis Deum, niſi quantum appareritis amare lucra Dei.

ſer.109. Amare Deum, donum Dei eſt.

Diſtincti à defunctis, loco ſuo Martyres recitantur, nec pro eis oratur, ſed eorum orationibus

Ecclesiacommendatur

Eligamus vitam, si amamus vitam. Quid eligimus vitam? Primo hîc bonam, post hanc æternam. Primo hîc bonam, sed nondum beatam. Bona modo agatur, cui postea beata servatur. Bona vita opus est, beata merces est. Age bonam, & accipies beatam. Quid iustius? Quid ordinatius? Certe vita ista laboribus plena est, ærumnis, tentationibus, miseriis, doloribus, timoribus plena est ista vita. Certe manifectum est quia his omnibus malis plena est. Et tamen sic quomodo omnibus malis plena est, si quis illam nobis daret æternam, sic tamen qualis est, quantas gratias ageremus, ut semper miseri essemus? Non talem promittit, non quicumque homo, sed verus Deus. Vera veritas promittit vitam non solum æternam, sed etiam beatam, ubi nulla molestia, nullus labor, nullus timor, nullus dolor. Vita sub Deo, vita cum Deo, vita de Deo,

vita ipſe Deus. Talis nobis æterna promittitur, & huic temporalis, & iſta, hoc eſt miſera & ærumnoſa præponitur.

ſer. 108. Beatus Petrus, primus Apoſtolorum, vehemens Chriſti amator.

Tibi dabo claves regni cælorum. Has claves non homo unus, ſed unitas accepit Eccleſiæ. Hinc ergo Petri excellentia prædicatur, quia ipſius univerſitatis & unitatis Eccleſiæ figuram geſſit, quando ei dictum eſt: Tibi trado, quod omnibus traditum eſt.

ſer. 109. Teſtamentum vetus velatio eſt novi, & Teſtamentum novum revelatio eſt veteris teſtamenti.

ſer. 110. Confeſſio ignorantiæ, gradus ſcientiæ.

Sicut mali homines male utuntur creaturis bonis: ſic Creator bonus bene utitur hominibus malis.

Niſi Deus antiquioribus ſeculis ſervaret ſua patientia peccatores, unde naſcerentur hodie tot fide-

les? Mali ſervantur, ut boni inde naſcantur.

Totus mundus fornax aurificis. Ibi iuſti tanquam aurum: ibi impii tanquam palea: ibi tribulatio ſicut ignis: ibi Deus ſicut aurifex. Pius Deum laudat, aurum rutilat: impius Deum blaſphemat, palea fumat.

Crede quod nondum potes videre, ut merearis videre quod credis.

Martyrum veſtigia imitando *ſer.* III. ſectemur, ne ſolemnitates eorum inaniter celebremus.

Medicus etiam cum occideretur, ſuo ſanguine ægrotos ſanabat.

Qui tanta agis ut paulum ſerius moriaris, age aliquid ut nunquam moriaris.

Propter hanc vitam volunt habere homines unde vivant: & propter hanc volunt dare unde vivant. Quod tibi ſervas, unde vivas, hoc das ut vivas, forte fame defecturus. Das unde vivis, men-

dicare paratus ut vivas. Paratus es, datis etiam necessariis, mendicare in hoc mundo, & non es paratus erogatis superfluis regnare cum Christo? Quàm multos invenimus qui dicunt: Tollat fiscus res meas, ut serius moriar. Quàm raro invenimus qui dicat: Tollat Christus res meas, ut nunquam moriar. Et tamen ô amator temporalis vitæ, si tollat fiscus, te spoliat in hoc seculo: si tollat Christus, tibi servat in cælo.

Ducitur homo ad sepulchrum, redeunt tristes, cito obliviscentes. Dicitur, quàm nihil est homo! Et hoc dicit ipse homo, & non corrigit se homo, ut non nihil, sed aliquid sit homo.

Magnæ opes sunt Christianorum necessitates egentium, si intelligamus ubi debeamus servare quod habemus.

Vita æterna diligenda est, præsens contemnenda est.

ser. 112. Non est in hominis potestate quo exitu hanc vitam finiat; sed

eſt in hominis poteſtate, ut ſecurus vitam finiat.

Omnes natura habent inſitum, vivere velle, mori nolle.

Delectat merces? Non dedigneris opus, cujus merces eſt.

Non recedimus à laude Dei, quando laudamus opera Dei, & prælia Dei in milite Dei. *ſer. 114.*

Celebratio ſolemnitatis Martyrum imitatio debet eſſe virtutum. *ſer. 115.* Facile eſt honorem Martyris celebrari, magnum eſt fidem atque patientiam Martyris imitari. Quid, obſecro, tantum amatis quod contempſit, quem ſic honoratis? Quem ſi iſta non contempſiſſet, non utique ſic honoraretis. Quare te invenio earum rerum amatorem, quarum veneraris contemptorem? Certe illum, ſi hæc amaret, non venerareris.

Eſt quod ad profectum ametur, & eſt quod ad impedimentum ametur. Noli amare impedimentum, ſi non vis invenire tormentum. Quod amas in terra, im-

pedimentum eſt. Viſcus eſt pennarum ſpiritualium, hoc eſt, virtutum quibus volatur ad Deum. Capi non vis, & viſcum amas? Nunquid non caperis, ideo quia dulciter caperis?

Dicitis: Moleſta tempora, gravia tempora, miſera tempora ſunt. Vivite bene, & mutatis tempora vivendo bene.

Tu noli eſſe malus, & bonum eſt aurum. Quanta bona de auro quod habet bonus? Quanta mala de auro quod habet malus?

Qui poſt aurum non abijt, &c. Poſt te debet ire aurum, non tu poſt aurum. Si malus es, is poſt aurum: ſi bonus es, it poſt te. Quid eſt, it poſt te? Tu ducis, non duceris; quia poſſides, non poſſideris.

Alia ſunt bona quæ non ſunt niſi in bonis: & alia ſunt bona quæ communia ſunt bonis & malis. Bona quæ non ſunt niſi in bonis, pietas, fides, juſtitia, caſtitas, prudentia, modeſtia, charitas,

tas, & cætera hujuſmodi. Bona quæ ſunt communia bonis & malis, pecunia, honor hujus ſeculi, poteſtas, adminiſtratio, ſalus ipſa corporis. Et hæc bona ſunt, ſed bonos quærunt.

Redi ad cor, & inde ad Deum. De proximo enim redis ad Deum, ſi redieris ad cor tuum.

Eſt alia vita, fratres mei, eſt poſt hanc vitam alia vita. Credite, ad eam vos præparate, præſentia cuncta contemnite: quod hîc habetis, illuc eat quo ſecuri eritis.

Corpora ipſa ſua habebunt magna ornamenta, in quibus (Martyres) paſſi ſunt magna tormenta. *ſer. 117.*

Quis ſecurus moritur, niſi qui ſe ſic noverit moriturum, ut mors in illo moriatur, vita coronetur? *ſer. 119.*

Qui dicunt mortuos non reſurgere, Chriſtiani non ſunt. Qui vero putant mortuos, cum reſurrexerint, carnaliter eſſe victuros, carnales Chriſtiani ſunt. *ſer. 120.*

Omnis creatura loquitur reſur-

rectionem, si surdi non sumus.

Mors in Domino nostro signum fuit alienorum peccatorum, non pœna propriorum. In omnibus autem hominibus mortalitas pœna peccati est.

Turpe est mulieri conjugatæ, non desiderare virum suum. Quanto turpius Ecclesiæ, non desiderare Christum?

Ser. 121. Architectus ædificat per machinas transituras domum mansuram.

Liberati à Diabolo, regnum Dei sumus.

Est resurrectio secundum fidem, in qua omnis qui credit resurgit in spiritu. Etenim ille bene resurget à corpore, qui primo resurrexit in spiritu.

Ab omnibus malis operibus cum receditur, mors quædam fit in anima, & in ejus operibus bonis resurgit.

Secundum spiritum resurrectio est, quæ fit modo per fidem.

Ser. 121. Periculosum est magisterium,

discipulatus securus est.

Impunitum non potest esse peccatum: impunitum esse non decet, non oportet, non est justum. Ergo quia impunitum non debet esse peccatum, puniatur à te, non puniaris pro illo. *Quadraginta sermonum à I. Sirmondo editorũ serm. 3.*

In tribunali mentis tuæ ascende contra te, ne accusatorem invenias, à quo te non possis defendere.

Ipse te delectet à quo habes quicquid te delectat: non peccatum dico, nam peccatum solum ab illo non habes. *serm. 5.*

Redde fidem Domino, quam exigis à servo tuo.

Ideo plus probantur filij pauperum quando obsequuntur parentibus pauperibus, quia pietas illos ducit, non merces: filij autem divitum quando obsequuntur parentibus suis, non probatur pietas, & si est, latet; quia etsi videtur à Deo, ab hominibus videri non potest. *serm. 12*

Timor hominum forte corpus

poteſt ab immunditia temperare, animam autem nonniſi timor Dei.

ſerm. 14 Diligite Dominum, & ibi diſcite diligere vos, ut cum diligendo Dominum dilexeritis vos, ſecuri diligatis proximos ſicut vos.

ſerm. 15 Tunc vos interrogate, quando bene eſt in ſeculo; tunc vos interrogate, ſi amatis hunc mundum; aut ſi non amatis, diſcite dimittere antequam dimittamini. Quid eſt dimittere? Animo non amare.

Tibi, ô anima, non ſufficit niſi qui te creavit. Quicquid aliud apprehendis, miſerum eſt, quia tibi ſolus poteſt ſufficere qui ad ſimilitudinem ſuam te fecit.

ſerm. 19 Illud etiam moneo ſanctitatem veſtram, ut ſciatis eum duplam miſericordiam facere qui pauperibus ſic dat aliquid, ut ipſe eroget: non enim debet eſſe ſola benignitas largientis, ſed & humilitas miniſtrantis. Neſcio quomodo, fratres mei, animus ejus qui porrigit pauperi, velut communi humanitati atque infirmitati compa-

titur, quando ponitur manus habentis in manum indigentis.

Debet erogationis officio conjungi ministrationis officium. Cum tibi liceat duas mercedes habere, quare perdis unam?

Omni pretio comparandum propositum est regnum cælorum. Non est ut dicat aliquis habens duos denarios idoneum se non esse ad comparandum: tanto illa evangelica vidua comparavit. *Luc. 21*

Sola dilectio semper est reddenda: nemo à tali debito alienus est.

Multis membris constitutum est corpus, & vegetat omnia membra unus spiritus: officia membrorum dispertita sunt, sed unus spiritus continet omnia. Multa jubentur, multa fiunt: unus jubet, uni servitur: quod est spiritus noster ad membra nostra, hoc Spiritus Sanctus ad membra Christi, ad corpus Christi quod est Ecclesia. Ideo Apostolus cum corpus unum nominasset, ne intelligeremus mortuum corpus, unum, inquit, cor- *serm. 20*

ordinavit: Non dixit, qui amat, ſed; *qui amat ſuper me.*

Sanguis Chriſti volenti eſt ſalus, nolenti eſt ſupplicium.

Invenitur in area quod perierat in ſemente: perit in ſemente quod inveniatur in meſſe.

Quid habes, ſi Deum non habes? Vel quid non habes, ſi Deum habes? *ſerm. 32*

Qui das hoſti ut vivas mendicus, da Chriſto ut vivas beatus: ut vivas paucis annis, quod hoſtis exigit facis; & quod Chriſtus exigit, contemnis?

De divitiis tuis, quas amas poſſidere, quas pro vita præſenti paratus es dare, do conſilium quid facias. Si & ipſas amas, noli eas perdere: quod ſi hîc eas amas, tecum perituræ ſunt: ſi amas eas, præmitte, eaſque ſequaris, ne cum amas in terra, aut vivus eas amittas, aut mortuus.

Tribulatio venit, quod volueris erit; aut exercitatio, aut damnatio: qualem te invenerit, talis erit: tri- *ſerm. 33*

bulatio ignis est, aurum te invenit, sordes tollet: paleam te invenit, in cineres vertit.

serm.34. Mala tempora, laboriosa tempora, hoc dicunt homines: bene vivamus, & bona sunt tempora. Nos sumus tempora, quales sumus, talia sunt tempora.

Abundant mala in mundo, ut non ametur mundus.

Verus pacis amator, inimicorum ejus amator est.

Videte quàm blandi sunt Medici eis quos etiam mordaciter curant: audiunt convicium, præbent medicamentum, nec reddunt convicium convicio.

serm. 35 Fœneratorem te vult Dominus, sed sui, non proximi.

serm. 37 *Omni petenti te da.* Quod si aliquis petit à te, non dico quod inutile est dare, sed quod turpe est dare? Quod si petat mulier aliqua quod petiit mulier à Joseph: quod *Gen 39.* si petat vir aliquis quod falsi se- *Dan. 13* niores à Susanna petierunt? Etiam hîc sequenda est illa tanquam generalis

neralis ſententia: *Omni petenti te da?* Abſit. Faciemus ergo hîc contra præceptum Domini? Imo faciamus ſecundum præceptum Domini, & mala petentibus non demus, nec contra iſtam ſententiam faciemus. Dictum eſt enim, *Omni petenti te da*: Non eſt dictum, Omnia petenti te da. Omni petenti te da, prorſus da, etſi non quod petit, tu tamen aliquid da: malum petit, tu bona da. Fecit hoc Joſeph; non dedit quod petebat mulier impudica, & dedit tamen quod audire deberet, ne impudica eſſet exemplo ſuo. Et ipſe non incidit in foveam libidinis, & dedit conſilium caſtitatis; hoc enim reſpondit: Abſit à me ne hoc faciam domino meo, ne polluam torum ejus qui credidit mihi omnia in domo ſua. Si ſervus emptus hanc fidem ſervavit domino ſuo, qualem debet conjux ſervare marito? Hoc erat admonere: Ego ſervus non faciam domino meo, tu conjux debes hoc facere marito tuo.

Dedit & Susanna, nec dimisit eos inanes, si impleri vellent consilio pudicitiæ: non solum enim non consensit, sed & non tacuit quare non consensit: Si consentio, inquit, vobis, pereo Deo; si non consentio, non effugio manus vestras: melius autem est in manus vestras incidere, quàm Deo perire. Quid est autem, melius in manus vestras incidere quàm Deo perire? Vos Deo peristis, qui talia quæritis. Ergo hanc regulam tenete: Date quando petimini. Hoc fecit Dominus. Petebat ille, quid? Divisionem hereditatis. Dedit Dominus, quid? Peremptionem cupiditatis. Quid petebat? Quid accepit? Dic fratri meo ut dividat mecum hereditatem. Dic homo, quis me constituit divisorem hæreditatis inter vos? Ego autem dico vobis: quid? Cavete ab omni cupiditate. Et dico quare: forte enim dimidium hæreditatis ad hoc petis ut ditescas. Audi, audi. Hominis cujusdam divitis successit regio:

ſucceſſus magnos habuit, multis fructibus fœcundata eſt. Et cogitavit apud ſe dicens: Quid faciam? Quo congregem fructus meos? Et diligenter cogitans, Inveni, inquit, quid faciam. Deſtruam veteres apothecas, faciam novas, implebo eas: majores enim faciam, quàm erant veteres. Et dicam animæ meæ: Habes multa bona, ſatiare, jocundare. Ait illi Deus: Stulte, quia valde videris eſſe cordatus: noſti enim deſtruere vetera, & ædificare nova, & tu in vetuſtate ruinæ remanſiſti, qui vetera in teipſo deſtruere debuiſti, ut jam terrena non ſaperes: Stulte, quid dixiſti? Cui dixiſti? Animæ tuæ dixiſti: Iocundare, habes multa bona. Hac nocte repetetur anima, cui talia promiſiſti. Quæ promiſiſti, cujus erunt? Noli ergo timere, cum dives factus fuerit homo, quia non cum morietur accipiet ea. Ecce quale conſilium Dominus fratribus dedit diſſidentibus, quo concordes eſſent, ut carerent cupidi-

tate, & continuo implerentur veritate.

serm. 40 Fieri non poteſt ut panem ſuum caro noſtra haberet, panem ſuum anima non haberet.

Nemo dicat quia præſtet pauperi; ſibi enim plus præſtat quàm pauperi.

Quidam, quod revera dicitur accidiſſe, homo non dives, ſed tamen etiam de tenui facultate pinguis adipe charitatis, cum ſolidum, ut aſſolet, vendidiſſet centum folles, ex pretio ſolidi pauperibus juſſit erogari; factum eſt. Ibi ille hoſtis antiquus, id eſt, Diabolus, egit ut pœniteret eum boni operis ſui, & quod obediendo recte fecerat, murmurando deleret. Immiſit furem, & abſtulit totum unde pauperibus datum erat exiguum. Expectabat Diabolus vocem blaſphemantis, invenit laudantis; expectabat fieri titubationem, invenit confirmationem. Hoc volebat quidem & inimicus ut pœniteret eum, & pœnituit. Sed videte quid:

Me, inquit, miſerum! qui non totum dedi; hoc enim perdidi quod non dedi: non enim poſui quo fur non accedit.

Unde homini placere Deo, niſi à Deo?

Merito pro aliis defunctis dormientibus orat Eccleſia, pro Martyribus non orat, ſed eorum potius orationibus ſe commendat.

Quare (Dominus) ſe permiſit tentari, niſi ut doceret reſiſtere tentatori?

Homil. undecim ex Codice manuſcripto Bibliot. Carthuſiana majoris homil. 1.

Pati te docuit, & patiendo te docuit.

Malivolæ ſuſpiciones ſunt calumniantium, benivolæ ſuſpiciones ſunt gubernantium: licet de filio male ſuſpicari, ſed de filio non licet calumniari. Suſpicatis malum, ſed optas invenire bonum: qui malivole non ſuſpicatur, vinci cupit: tunc enim bene lætatur, quando falſum inventum fuerit quod male ſuſpicatur. Sic erat & Joſeph circa conjugem ſuam, cui corpore non erat mixtus, ſed ta- *homil. 2.*

men jam fide fuerat copulatus.

Ad vitam æternam omnes perveniunt, sed in vitam æternam non omnes eundem, eandem dignitatem, idem meritum comparant. Vita æterna par erit omnibus: non enim ibi plus alius vivit, alius minus, quando omnes sine fine victuri
Marc.20 sumus. Ipse est denarius quem accepturi sunt operarij, sive qui vineam laboraverunt, sive qui ad horam undecimam venerunt. Denarius ille vita æterna est, quæ omnibus par est.

Bene aliquando Deus differt adjutorium suum, ut probet hominem, ut exerceat hominem, ut ipse sibi homo innotescat.

homil.4 Martyrem Dei non facit pœna, sed causa.

Ideo magnorum casus non latuerunt, ut timeant qui de se præsumpserunt.

Quomodo vox ista nostra omnibus auribus audientium singulis tota est, & apud singulos tota est. Nec tot sunt meæ voces, quot ve-

ſtræ aures ; ſed una vox multas aures implet, non diuiſa, ſed omnibus tota. Ecce Verbum Dei, Deus apud Deum, Sapientia Dei manens incommutabiliter apud Patrem ut produceret ad nos, carnem quaſi ſonum quæſivit, ei ſe inſeruit, & ad nos proceſſit, & à Patre non receſſit.

Nimis grave eſt & nimis horribile, ut avaritia nos teneat in terris, cum illi dicamus *Pater noſter qui es in cælis*, cujus deſiderio vileſcunt omnia. *homil 9*

Omnino avarus in corde hydrops eſt : nam hydrops in carne humore plenus eſt, humore periclitatur, & humore non ſatiatur : ſic hydrops in corde quanto plus habet, tanto plus eget.

Quid tam omnia, quàm qui fecit omnia?

Ad hoc dives eſto, ut facile tribuas. *hom. 10.*

Quodammodo Dominus Deus noſter mercatores nos vult eſſe, mutationem nobiſcum facit. Quod

hîc abundat damus, quod ibi abundat accipimus: quemadmodum plerique trajectitias merces faciunt, aliud dant alibi, & quod veneunt aliud accipiunt. Verbi gratia dicit amico suo: Accipe hîc à me aurum, & da mihi in Africa oleum; & migrat & non migrat: jam quod desiderat accepit. Talis est ista mutatio, qualis, fratres mei, nostra mercatio. Quid damus, & quid accipimus? Hoc damus quod nobiscum auferre non possumus, etsi vellemus. Quare ergo perit? Id quod minus est, detur, ut quod est majus ibi inveniatur. Damus terram, & accipimus cælum; damus temporalia, & accipimus æterna; damus putrescentia, & accipimus immortalia. Postremo demus quod dedit Deus, & ipsum accipimus Deum. Non ergo simus pigri in ista mutatione rerum, in ista mercatura optima & ineffabili Prosit quia hîc sumus, prosit quia nati sumus, prosit quia peregrinamur. Non inopes remaneamus.

Nunquid duxi me ſcire aliquid in vobis, niſi Ieſum Chriſtum, & hunc crucifixum? Et ſi hoc ſolum ſciebat, nihil eſt quod neſciebat. Magnum eſt ſcire Chriſtum crucifixum, ſed ante oculos parvulorum tanquam involutum poſuit theſaurum, *Chriſtum*, inquit, *crucifixum*. Quanta habet intus iſte theſaurus! *hom. 11.*

Merebitur in regnante glorificari qui didicerit in crucifixo gloriari.

Chriſtum quæritis excelſum redite ad crucifixum.

Quis noſtrûm idoneus eſt curare quod fecit? In ipſis delictis quis non cum voluerit vulnerat ſe? Sed non quis cum voluerit ſanat. Agnoſcatur Medicus, nunquam ſe ſanat ægrotus.

Neque ſub Deo juſto miſer eſſe quiſquam, niſi mereatur, poteſt. *Operis perfecti contra Iulianũ Pelag. lib.* 1.

[a] Iuſtificat impium Deus non ſolum dimittendo quæ mala facit, ſed etiam donando charitatem, ut declinet à malo & faciat bonum [a] *Lib.* 2.

per Spiritum Sanctum.

Utroque modo adjuvat gratia, & dimittendo quæ male fecimus, & opitulando ut declinemus à malis, & bona faciamus.

Lib 3. Quanto excelſior, tanto inſcrutabilior divina quàm humana juſtitia, tantoque ab hac illa diſtantior: quis enim homo juſtus ſivit perpetrari ſcelus, quod habet poteſtatem non ſinere? & tamen ſinit hæc Deus incomparabiliter juſtis omnibus juſtior, & cujus poteſtas eſt incomparabiliter omnibus poteſtatibus major. Hæc cogita, & noli judicem Deum judicibus hominibus comparare, quem non dubitandum eſt eſſe juſtum, etiam quando facit quod videtur hominibus injuſtum, & quod homo ſi faceret, eſſet * injuſtum. *injuſtus*

Quoniam peccatum operis punit & homo, peccatum autem originis nonniſi Deus: ideo Deus, cum ſe dicit peccata patrum reddere in filios, præcipit tamen homini ne pro peccatis patrum damnet & filios.

Non renaſci aliquis niſi natus poteſt.

Homines hominum carne naſcuntur, Dei ſpiritu renaſcuntur.

Nemo eſt liber ad agendum bonum ſine adjutorio Dei.

Nemo niſi per gratiam Chriſti ad bonum quod vult agendum, & ad malum quod odit non agendum, poteſt habere liberum voluntatis arbitrium.

Hæc imperat Deus quæ fieri poſſunt: ſed ipſe dedit ut faciant eis qui facere poſſunt & faciunt, & eos qui non poſſunt imperando admonet à ſe poſcere ut poſſint.

Gratia Dei ex nolente volentem facit.

Quicquid in hominibus qui cum vitio naſcuntur, ad Deum Creatorem pertinet, bonum eſt.

Eadem natura & bona eſt inquantum natura eſt, & mala ſi viciata eſt: non eſt tamen malum ulla natura. Salvanda eſt quia mala eſt, non quia malum eſt: ſi autem eſſet malum, ſalvanda non eſſet: non

enim quia malum eſt, ſed quia malum habet, mala eſt: ſicut non quia vitium eſt, ſed quia vitium habet, vitioſa eſt: quia vitioſa eſt, ergo ſalvanda eſt.

Lib. 4. Peccati quidem parvulus non habet voluntatem: ſed peccatum non haberet, niſi ille de quo id attraxit, voluntate peccaſſet.

Non tanquam malo bonum, ſed tanquam bono melius, virginitatem nuptiis anteponimus.

Amat Deus homines uſque adeo, ut etiam cum iniqui ſint, amet ut homines ſunt, quamvis oderit quod iniqui ſint. Ac per hoc iniqui quos Deus odit, & ſunt homines, quoniam Deus ſuum amat opificium, & miſeri ſunt quoniam Deus amat judicium.

Hominibus natura filiis iræ propterea dantur præcepta vivendi, quia datur & gratia, ut qui jubet juvet: ac ſic mala non ſolum quæ voluntate addita, verum etiam quæ ſunt congenerata vincantur.

Originale peccatum propterea

ſignificatius quàm naturale dicimus, ut non divini operis, ſed humanæ originis intelligatur.

Et ſi operatur Deus in homine voluntatem bonam, id utique agit ut oriatur ab illo bona voluntas, cujus eſt voluntas: ſicut agit ut homo oriatur ab homine: non enim quia Deus creat hominem, ideo non homo ex homine naſcitur: malæ autem voluntatis ſuæ unuſquiſque author eſt, quia malum vult.

Prorſus ita (homo) factus eſt, ut peccandi poſſibilitatem haberet à neceſſario, peccatum autem à poſſibili.

Deus tam bonus eſt, ut malis quoque utatur bene, quæ omnipotens eſſe non ſineret, ſi eis bene uti ſua ſumma bonitate non poſſet.

Neque tunc ſine virtute vivemus, quando nobis concedetur ne à Domino aliquando recedere poſſimus, quoniam nec velle poterimus.

Deus ſolus eſt immutabilis, &

potentiſſimæ bonitatis, qui antequam eſſet ullum malum, bona opera fecit omnia, & de malis quæ in bonis à Deo factis orta ſunt, bene operatur per omnia.

(Dei) occulta poſſunt eſſe judicia, injuſta non poſſunt.

Non eſt injuſtum, ut bona conferantur & malis: ſed injuſtum eſt, ut mala ingerantur bonis.

Lib. 6. Non ita eſt homini congenita libertas immutabilis voluntatis, qua velit poſſitque bene agere, ſicut congenita eſt qua velit beatus eſſe, quod omnes volunt, & qui recte agere nolunt.

Profecto niſi Deus adſit, nemo eſt idoneus certare cum vitiis.

Arbitrium liberum adjuvatur per Dei gratiam, ut quod naturaliter volumus, hoc eſt beate vivere, bene vivendo habere poſſimus.

Ut boni præliatores perducantur ad præmia, ſupplicia vertuntur in prælia.

Iſta non abſurde immortalitas dicitur, qua poteſt quiſque non

mori, ſi non faciat unde moriatur, quamvis poſſit & facere. In hac immortalitate fuit Adam, hanc immortalitatem merito prævaricationis amiſit.

Quamvis multæ mortes inveniantur in Scripturis, duæ tamen ſunt præcipuæ, prima & ſecunda. Prima eſt quam peccando intulit primus homo: ſecunda eſt quam judicando illaturus eſt ſecundus homo. Prima mors cœpit eſſe quando Adam de Paradiſo ejectus eſt, & ſeparatus à ligno vitæ: mors ſecunda eſſe incipiet, quando dicetur: *Diſcedite, maligni, à me in ignem æternum.*

Etiam pœnæ Sanctorum ſine dubitatione pretioſæ ſunt; ſed non quia pretioſæ ſunt, ideo pœnæ non ſunt: ſicut non quia pœnæ ſunt, ideo pretioſæ ſunt; ſed quia pro veritate ſuſceptæ, vel cum pietate toleratæ ſunt.

Solus Mediator Dei & hominum ſine culpa pertulit pœnam, ut noſtram ſcilicet & culpam vacuaret

& pœnam : non eam pœnam quæ luenda in hoc ſeculo fuit, ſed quæ nobis debeatur æterna.

Quicquid lex Dei jubet, non niſi eo qui jubet adiuvante, inſpirante, donante completur.

FINIS.

4-4